

image
not
available











DE CALENDARIIS IN GENERE, ET SPECIATIM DE CALENDARIO ECCLESIASTICO.

DE CALENDARIIS IN GENERE, ET SPECIATIM DE CALENDARIO ECCLESIASTICO DISSERTATIO,

Cui adnectuntur complura pervetusta Hagiologia nunc primum edita, atque illustrata,

Index Martyrologicus ; nec non tres Epistolicæ Dissertationes alia sacra Monumenta exornantes.

AUCTORE

FRIDERICO ALTHANO

EX COMITIBUS SALVAROLI FOROJULIENSI.



VENETIIS;
MDCCLIII.


Ex Typographia Remondiniana;
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FRIDERICUS ALTHANUS.



Cclesiastica hæc sacræ vetustatis monumenta, & qualemcunque meam, quam illis dilucidandis contuli operam, Tibi, BEATISSIME PATER, obsequioso ausu ad-

geniculatus offerre non metuo; immo non existi, neque incerta spe ducor fore, ut isthæc mea quantulacunque oblatio benigno a Te propensoque sit animo excipienda. Quis enim ambigere potest hoc litterarum genus non benigne complexurum esse Pontificem illum, qui omnes doctrinas, artes omnes mirifice exsuscitat, tuetur, ac fovet? A quo omnis eruditio, & præsertim Ecclesiastica, vetusta morum, & doctrinarum sanctitas, & disciplina, bonarumque artium studium, atque elegantia, incredibili diligentia perquiritur, & revocatur? Omnia tua, SUMME, & SANCTISSIME PRINCEPS, quæ vel in litterarum cultum, vel in omnium gentium utilitatem, vel in fidei splendorem, atque incrementum redundant, ingentia facta, quibus & Urbem exornas, & Orbem imples, hic recensere epistolæ modus non patitur. Prætereo igitur plurima, eaque doctissima Opera tua litteraria, præclaras a Te institutas Academias, Capitolii insigne Musæum per Te magnifice auctum, tot sacra, totque profana ædificia vel a fundamentis extructa, vel splendide, eleganterque exornata, vectigalia remissa, horrenda bella sedata, jura sanguinis raro exemplo posthabita, & pauperes Propinquorum in sortem munificentissime vocatos. Neque memoro clementiam, vigilantiam, con-

stan-

ſtantiam, pietatem, æquitatem, cæteraſque prope divinas animi tui dotes, quibus & cælum demereris; & ſacratos præteritorum temporum Heroas perfecte refers, atque æmularis. Sileo quod hinc omnium oculi in Te ſunt conjecti, Te unum Europa omnis, ac univerſus prope dixerim Orbis indeſinenter & admiratur, & loquitur, & ſummis effert laudibus. Hæc omnia, inquam, miſſa facio, quorum laudes pertractandæ ſi eſſent, ſingula diſertiſſimi cujuſque Oratoris eloquentiam exigerent, ſuoque pondere fatigarent. Ea tamen leviter attigiſſe juvat: conſtat enim inde quales, quantæque mihi extiterint cauſæ, cur mihi ſpes affulſerit, abs Te, PONTIFEX MAXIME, & quæ ſplendidiſſima laus eſt, vel Optime, hanc veterum Eccleſiaſticorum Monumentorum collectionem libenti animo exceptum iri, qui plane pernoſcas, quantum ejuſmodi monumenta fructum, quantamque utilitatem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, atque eruditioni percipiendam exhibeant. Quod tamen præterire nullatenus debeo, ac vehementer exopto, fervidiſque votis imploro, atque obteſtor, illud eſt, ut Deus Omnipotens, qui Eccleſiæ ſuæ, quam ſumme diligit, regimen Tibi ſingulari Providentia contulit, idem Te longam per annorum ſeriem, & ejuſdem Eccleſiæ, & univerſarum gentium,

& Litterarum bono, incolumem tueatur, ac servet. Advolutus tandem ad sacri pedis osculum expetitæ Benedictionis tuæ munus humiliter posco.

S. Viti ad Tilaventum V. Id. Novemb. Anno MDCCLI.



MO-

MONITUM.



Ulta quum monumenta, quæ sunt in hoc volumine collecta, missa mihi fuerint ab amicis, quumque alienæ diligentiæ meritum adscifcere mihi nefa existimem; immo quum animi grati sensum, quo erga illos afficior, qui ad hujusce Operis constructionem opem aliquam contulere, patefacere vehementer cupiam eorum nomina in hunc locum honorifice accensere statui, præcipue ne invidia ulla eos, qui in Operis contextu non nominantur, omisisse videar. Recensebo igitur Petrum Lazerum, & Franciscum Antonium Zacchariam doctissimos S. I. Presbyteros, atque egregiis editis Operibus percelebres, qui plures notitias, quibus ad concinnandum Martyrologicum Indicem usus sum, mihi humanissime subministrarunt; nec præteribo Comitem Rinaldum de Renaldis cujuscunque antiquitatis peritum, ac diligentem investigatorem, qui, ut nonnulla ex laudatis monumentis acquirerem, perhumaniter operam dedit, neque celebrem virum tacebo Dominicum Ongaro, cujus eximiæ humanitati Calendarium Aquilejense I. acceptum refe-

refero. Alii quoque varia mihi adjumenta præstitere, sed quia illorum explicita mentio opportune ipso in opere exhibetur idcirco de illis hic nihil me præfari oportere existimo. Nihil item hoc loco de hujusce Operis occasione dicam, cum satis ea constet ex iis, quæ initio protuli dissertationis de Calendario Ecclesiastico. Illud solum adjiciam me ad calcem ejusce dissertationis in seriem redegisse, breviterque explanasse nonnulla antiquis in Calendariis occurrentia verba, quæ propter eorum minus obviam significationem illustratione quapiam indigere videbantur. Brevibus item adnotatiunculis, quæ inde sequuntur pervetusta Hagiologia diligenter adspersi; non omnia tamen, ne rebus iisdem repetendis eruditorum animos a lectione alienarem. Quum autem pene omnium Calendariorum a doctis viris editorum Catalogum olim in Adversaria retulissem, (mihi enim erat in animo eadem simul collecta iterum typis vulgare) eumdem modo novis accessionibus, & præsertim Martyrologiorum saltem vulgatorum Catalogo auctum, atque locupletatum proferre, memoratisque Hagiologiis adiungere statui, quem harum rerum studiosis summopere gratum fore non incer-

ta

ta ſpe ducor, quum ex illo ferme omnium Calendariorum, & Martyrologiorum, quæ in pluribus quidem, ſed plerumque rariſſimis voluminibus habentur notitiam ſumere poſſint, & comparare. Reſtat, ut illud item admoneam, duas videlicet ex Epiſtolicis diſſertationibus hujus Operis appendicem complectentibus modo iterum in lucem prodire, quum altera, nempè quæ in quodam Altari portatili dilucidando verſatur, jam edita fuit in celebri Opuſculorum collectione, quæ a Clariſſimo Viro Patre Angelo Calogierà Monacho Camaldulenſi maximo litteratorum plauſu profertur; alteram vero de quodam Baptiſmali Hieroglyphico agentem Antonius-Lazarus Moro percelebris, ac doctiſſimus Vir pro ſua erga me eximia humanitate in lucem edi curavit, quam modo ex Italico ſermone in Latinum verti, ut ipſam in aliarum ſeriem aptius ingererem.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

ELEN-

ELENCHUS

OPERUM, ET MONUMENTORUM,


Quæ in hoc Volumine continentur.



			Errata	corrige
pag.	3. lin.	11.	adnotatur,	adnotabatur.
	14.	9.	habeantur,	habebantur.
	18.	14.	suppositis,	supposititiis.
	21.	31.	affert,	effert.
	29.	30.	adversari	adservari.
	43.	2.	Nativitatis	Nativitati.
	52.	4.	Nativitatis	Nativitatis die.
	60.	13.	Catholicas	Catholicos.
	64.	15.	volitentur,	vocitentur.
	67.	20.	enim	etiam.
	84.	6.	vocitarent	vocitarentur.
	ib.	13.	legetis	legesis.
	93.	11.	Fontanianæ	Fontaninianæ.
	96.	1.	Fontaniana	Fontaniniana.

Nos autem pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus.

S. Gregor. *Papa Epist. 29. ad Eulogium.*



DE CALENDARIIS IN GENERE.

CAPUT I.

Disciplinas fere omnes, præsertimque sacras magnum lumen, atque incrementum nostra, patrumque nostrorum memoria obtinuisse neminem latet. Id vero recentiorum litteratorum virorum ingenio, atque industriæ acceptum referri oportere manifestissime constat: ii enim plurimam quum operam, atque sollertiam in antiquis ecclesiasticis monumentis, quæ antea latuerant, vel detegendis, vel in lucem proferendis, vel illustrandis impenderint; illud præsertim enixe curarunt, ut lucubrationes, quibus circa monumenta illa versati sunt, ad veræ Religionis sanctissima dogmata confirmanda, & ad præteritorum temporum disciplinas, atque mores novam in lucem trahendos converterent. Hinc facile discernere unusquisque potest id genus monumenta plu-

simi esse facienda, nilque Christiano homine, ac litterarum studioso esse dignius, quam in iis exquirendis, illustrandisque operam qualemcumque suam collocare. Bene Thomas (*a*) Reinesius ait: *antiquitatis Christianæ particula quæcunque quavis pagana est nobilior honoratiorque*. Inter hujusmodi monumenta non sane postremum occupant locum Martyrologia, sive Calendaria, in quibus eruendis vulgandisque nemo ignorat, quantum elaboraverint viri doctissimi, prudentissimique Baronius, Bollandus, Bucherius, Mabillonius, Fronto, Florentinius, Sollerius, Ruinartius, aliique quam plures. Fortunate contigit & mihi, ut antiqua nonnulla Calendaria nanciscerer incognita hactenus, atque a nemine in lucem prolata. Itaque statui clarissimorum virorum vestigiis insistere, neque pati ea virorum nostrorum studiis amplius deberi. Verum de his antequam dicere aggrediar, supervacaneum, & abs re alienum non erit, aliqua de Calendariis, eorumque vetustate, ac usu generatim attingere, quorum præsidio, ac ornamento isthæc Hagiologia nostra stipata, atque suffulta in lucem, adspectumque hominum eruditorum acceptiora perventura esse confidimus.

Principio homines, ut societatem inter sese inierе, ad eas res comparandas, instituendasque, magistra, ac duce natura, animum adpulerunt, per quas bene, beateque vivitur. Verum ut rebus omnibus perspicuus inesset, ac conservaretur ordo, sine quo nulla socialis hominum vita esse potuisset, certa vivendi disciplina sancienda fuit, quam illi ex varia temporis mensura satis apte deduxerunt. Ex solis enim, Lunæque cursu edocti, in dies, menses,

(*a*) Variarum lect. lib. 2. cap. 2. pag. 131.

ses; ac annos tempus dimensi fuere. Dies vero ipsos alios operibus destinatos, alios quieti, sive Dei cultui addictos voluerunt; idque, ut Strabo lib. x. admonuit, non tam ab ingenio hominum profectum est, quam ab ipsa natura suggestum, imo à Deo ipso: quas quidem rationes eleganter persecutus est Isaacus Casaubonus initio Operis *de Satyrica Græcorum poesi*. Porro cum ad eosdem dies, vertente anno, redeundum esset, ut hæc temporum distributio cognosci facilius ab omnibus, & teneri posset in tabulis adnotatur. Hæ tabulæ Fasti, vel Calendaria appellata fuere. Quo circa omnibus cultis, ac bene moratis nationibus sui inerant Fasti, vel Calendaria, quæ pro varietate gentium variis appellabantur nominibus.

Plura nobis supersunt Hæbraica Calendaria. Omnes enim, qui de Hebræorum antiquitatibus disseruere, horum quoque Calendaria in medium proferre curarunt. Consule Sigonium de Republica Hebræorum cap. XVIII., Bernardum Lamy Apparat. Biblic. lib. I. cap. 5. Bartoloccium Bibliotec. Rabbinic. Tom. II., Seldenum de anno civili Judæorum Cap. VIII., Genebrardum ante Comment. in Psalm., Josephum Scaligerum in Canon. Isagog., Euseb., aliosque, quorum non paucos Seldenus nuper memorato loco præsertim recenset. At Calendaria, quæ laudati scriptores operæ pretium exhibere duxerunt, ab ipsis, non vero ab antiquis Hebræis concinnata fuere. Immo animadvertit Basnagius in Hæbr. Antiquit. lib. V. cap. 19. num. 20. nulla præstare antiquitate illud Hæbraicum Calendarium, quod ut veterrimum a Torniello editum fuit. A nonnullis

quoque omnino recens habetur liber ille jejuniorum, qui Calendarium esse conjicitur, cujusque veluti singulari antiquitate præditi ab Usserio in definienda Herodis morte, atque a Scheltratio Antiq. Eccles. Dissert. I. Cap. 2. art. 1. num. 8. mentionem fieri perspicimus. Sed neque Rabini, ut vocant, defuere, qui suæ gentis Calendaria adornarent. Supralaudatus Bartoloccius nos admonet Abrahamum Uzahalon præter opus *de conjunctione, & oppositione luminarium*, Calendarium quoque edidisse, quod inservire poterat ab an. Christi 1522. ad an. 1525., ac *Rabinum Menachem* concinnasse Calendarium ab an. Christi 1671. ad an. 1672. usque dispositum, atque ordinatum. Ab aliis alia edita fuere, sed omnia hic recensere piget. Quid Hebræorum Calendaria exhiberent a Bernardo Lamy in supra memorato opere indicatur: *Calendarium Judaicum*, inquit ille, *in quo notantur Festa tum a lege olim præscripta, tum postea instituta, dies angariarum, sive jejunia & lectiones ex sacris scripturis eo ordine, quo in Synagogis legebantur*. Idem quoque sæpius laudatus Bartoloccius profert. Dignum vero animadversione est a Calendariographis Judæis licet antiquioribus nullas in Calendariis suis Macchabæorum, aliorumque martyrum, nullas Patriarcharum, atque Prophetarum memorias exhiberi, sed illas duntaxat proferri res, quas nuper adnotavimus. At hujusce rei, ni fallor, ratio est, quod nulli apud Hebræos dies inerant Festi, nisi quos Deus instituerat.

Ceteroqui dubium est, an olim Calendario uterentur Hebræi multo ante præscripto, atque com-

composito. Cum enim tota Judaicorum festorum ratio ex Neomeniis penderet, sunt qui Neomenias cyclica ulla ratione definitas negant, voluntque id factum observatione ipsa Lunæ primum visæ. Ita Rabini apud Bochartum in Hier. lib. 2. cap. 30. & Joannes Seldenus *de Calend. Judaic.* in eo convenire, ait, utramque Rabinorum sectam, tum quæ Thalmudicorum, tum quæ Scripturariorum vocatur. Langius lib. 1. de ann. Chris. cap. 9. idem contendit testimonio Philonis, & antiqui scriptoris apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromatum. Præterea hanc sententiam amplexi sunt Panvinius ad an. V. C 786. Salmeron Tom. I. proleg. 38. aliique. Hi admonent primum fuisse Epiphanium, qui Judaici Cycli mentionem fecerit. Pro contraria sententia de Calendariis, & Cyclo Judaico stant Bucherius, & Scaliger, qui contra superiorem illam multa objiciunt, & præsertim quod fieri non potuisset, ut tot Judæorum millia in valde disjunctis, ac inter se dissitis locis, in depressis vallibus, ac septentrionalibus in locis montibus impeditis Neomeniam recte statuere possent, vel a Judæa nuncium expectare deberent. Nam quæ de facibus ad id nunciandum Rabini tradunt, præsertim Maimonides *de consecrat. neomen.* cap 5. recens putatur inventum. Pro Cyclisetia sunt quoque Serarius in cap. 3. Josue qu. 27. Joannes Mariana *de die Passion. Chris.* cap. 15. aliique permulti, & ex antiquioribus id significare videtur Beda *de rat. temp. cap.* 41.

Præter Hebræos, cæteros quoque populos Festorum dierum descriptionem instituisse credibile

est; etsi de Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium ad Orientem solem positarum fastis nihil ad nostram memoriam pervenerit. Verum cum annos habuerint inter se diversos, vel diversum anno principium facerent; cum alios alii dies festos esse vellent, hinc ut vulgi memoriæ consulerent, illos sibi Calendaria concinnasse necesse fuit. Ægyptios quidem ab hoc onere describendi Calendarium liberare videtur Cl. *Pluche*; id nimirum censens, pertinuisse ad Sacerdotes publice propositis hieroglyphicis suis, populum edocere, ut si initio mensis festus dies celebrandus esset, Isidis capiti lunam nascentem imponerent; si medio mense Luna cum plena est &c. Ita ille lib. II. ingeniosissimi Operis, quod cœli historiam inscripsit, ac deinde contendit eodem ferme pacto annum rusticum digessisse, & facienda opera agricolis indicasse. Verum hæc acute magis quam vere excogitata ostendit Cl. Comes Joannes Rinaldus Carli epistola tertia elegantissimæ Hæsiodi Theogoniæ versioni præposita. Itaque malumus eos id eredere fecisse, quod cæteræ nationes.

Vetustissimo Chaldæorum anno mensis Gorpiæus, hoc est, apud Romanos Sextilis auspicia præbebat, quemadmodum Herodoti, ac Ptolomei auctoritate fretus indicat Cl. Pontedera Antiq. Latin. Græc. epistol. xv. (*a*) Censorinus Ægyptiorum annorum *initia semper a primo die mensis ejus desumi docuit, cui apud Ægyptios nomen est Thot.* qui juxta illorum mobilium annorum rationem modo Junio, aut Julio, modo Augusto

(*a*) Lib. de Die Natal. pag. 111. Edit. Aldin.

ſto, vel Septembri reſpondebat, quanquam poſt Actiacam Victoriam illum ſemper Auguſto reſpondiſſe creditur. Admonet enim inſignis Cardinalis Noriſius (*a*), poſtquam Ægyptii *initium Thot, a quo annum exordiebantur in die* XXIX. *Augusti Romanorum fixerunt, anni vagi uſum apud ſolos Aſtronomos remanſiſſe; ſedemque deinceps fuiſſe dies anni ſacri & civilis.*

Ab Jo: Alberto Fabricio in Menolog. nu. 32. Macedonum, Aſianorum, Epheſiorum, & Pergamenorum menſes proponuntur, ut primum faciat *Dium*, quem ait reſpondere Octobri: num. 33. exhibentur menſes Syro Græcorum, ſive Syro-Macedonum, Antiochenorum, Gazæorum, Smyrnęorum, Arabum, & aliorum Aſiæ populorum, quorum primus *Dius* Novembri æquatur: num. 40. Primus apud Athenienſes menſis εκατομβαιων, ſive Κρονιος profertur; atque a Metonis temporibus caput anni Attici Solſtitium, teſte Teophraſto. Non conſentiunt viri docti in definiendo cuinam menſi Romano Atticus quiſque reſpondeat, Scaliger Hecatombæonem cum Julio comparat, Gaza, & Giraldus cum Junio, his adſtipulatur ipſe Fabricius: num. 41. ex Jo: Meurſii III. 8. Miſc. Laconicor:, & H. Dodwello de Cyclis Græcorum, & Rom. Diſ. 8. primus menſis Γερασιος reſpondens Januario, qui memoratur a Thucidide lib. 4. apud Troezenios dictus Γεραιςιων: num. 43. Apud Thebanos, & Boetios primus menſis Βυκατιος teſte Plutarco, Pelopida, & Heſychio in Αμαιων, qui Septembri comparatur; num. 47. apud Bithynios Ηρᾶςος primus menſis

(*a*) Ep.Syr. Diſſert.3.

ſis reſpondens Octobri: num. 49. Cypriorum, aliorum, ac præcipue Paphiorum annus incipiebat a die 24. Decembris; primus menſis ιȣλιος ſive Iȣλος ex Epiphanio, & Pſello : nu. 56. ex Henrici Stephani append. Capadocum primus menſis Τίριξ Decembri reſpondens. Alia quoque non inter ſe æqualia annorum initia in eodem Fabriciano Menologio, atque in Joannis Maſſoni Hemerologio menſium variarum gentium videre eſt. De annorum variis initiis toto cap. 16. Leo Allatius. *De menſura temporum antiquorum* allegans Julianum Imperatorem Oration. in regem Solem ſcribentem: *Etenim cum anniverſarii circuitus initium aliunde alii repetant: ut puta quidam ab Æquinoctio verno, quidam ab æſtate media, plerique ab inclinante jam autumno*, addit, aliter alios feciſſe, quod alii ruſticani operis opportunitatem ſequi maluerint, alii fructuum proventum ſpectarint, alii aliud. Hacce de re Plinius lib. VII. cap. 48., ac Cenſorinus de die Natali cap. 21. ubi ait: *Icciro aliis a novo ſole ideſt a bruma, aliis ab æſtivo ſolſtitio, pleriſque ab æquinoctio verno, partim ab Autumnali æquinoctio, quibuſdam ab ortu Vergiliarum, nonnullis ab earum occaſu, multis e canis exortu incipere annus naturalis videtur.* Quum ergo ex tot variis annorum initiis varia quoque temporum, dierumque diſtributio neceſſario haberetur, quæ ut vulgo præſertim nota, ac perſpicua foret, unamquamque gentem ſuum peculiarem ritum in tabulis adnotaſſe, ſuaque icciro Calendaria habuiſſe oportuit.

Verum, cæteris poſthabitis nationibus, indubium eſt Romanos a primis uſque temporibus

fa-

fastis, seu Calendariis usos fuisse. *Calendarium latina est vox*, quemadmodum in expendend. Calend. Rom. Petrus Gassendus scribit, *deducta nempe a Calendis, quo nomine Latini diem cujusque mensis primum donant.*

Non me latet olim sub Calendarii nomine proprie designatum fuisse fœneris librum, seu Ephemeridem, vel Diarium, in quo usuræ singulas in Calendas petendæ, aut exsolvendæ præscribebantur. Ad hunc respexit Seneca lib. 1. de beneficiis, & lib. 3. cap. 7., & forte etiam Horatius quando lib. 1. Sat. III n 81. cecinit.

- - - - cum tristes misero venere Calendæ.

Hinc Calendarii Curatores appellabantur, qui nimirum curam habebant tabularum, in quibus præscripta erant eorum nomina, qui pecuniam fœnebrem a Civitatibus acceperant, & usuras Calendis solvebant Quamplures horum nomina Curatorum exhibentes inscriptiones apud Gruterum invenies.

Verum antequam Romæ Fasti in omnium proderentur notitiam, mensis cujusque Calendis a Minore Pontifice, quæ feriæ toto mense essent futuræ, quidve foret in religione peragendum, populus edocebatur. Hinc factum est, ut conscripti postea Fasti, sive Codices, a quibus omnis unius anni ratio, & dispositio tradebatur, Calendaria vocarentur, sic, ut nuper ex Gassendo adnotavimus, a Calendis dicta. A græco verbo Καλῶ idest voco primum cujusque mensis diem Calendas Romani nuncuparunt, eo quod plebs in Capitolium, ut ex (a) Macrobio perdiscimus, ea

die

(a) Saturnal. lib. 1. pag. 229. Edit. Aldin.

die Καλῆται, ideſt vocaretur, ut totius ordinem menſis, formamque perciperet, ac compararet. Quid eſſet, quidve Calendarium Romanum exhiberet nuper laudatus Gaſſendus egregie demonſtrat: *eſt autem*, inquit ille, *Calendarium nihil aliud quam menſium, dierumque, ex quibus annus conſtat, ac una Feſtorum, & ſi qua ſunt aliarum adjuncta coordinatio*. Inter hæc vero, quæ ab eo adjuncta dierum vocantur, comprehendi aſſerit ille: *Comitia, ludos, nundinas, & faſtos, ac nefaſtos dies, interdum eventa quæpiam illuſtriora, ut prælia, triumphos, inaugurationes, ſponſalia, natalitia, funera, incendia, eluviones* &c. Inſuper etiam aliquando: *Solis, Luneque ingreſſus in ſigna Zodiaci, tempeſtatumque initia, ortus, occaſuſque ſtellarum fixarum, aſpectus luminarium, ſtellarumque errantium, pretereaque æſtus, algores, pluvias fulgura, ventos, & alia, quæ Aſtrologi hariolantur*. Quibus addi poſſunt etiam *Legittimi Senatus*, de quibus in Calendario Romano a Schildio in notis ad Svetonium edito multa mentio eſt.

Quamplura Ethnicorum Romanorum adhuc nobis extant Calendaria. Inſigne eſt illud marmoreum Romæ apud Maffejos repertum, quod ab Aldo una cum diſſertationibus *de veterum dierum notione, ac de Senatu Romano*. Venetiis ann. 1581. vulgatum fuit, atque Jacobo Boncompagno ex Ducibus Soræ inſcriptum. Aliud Adrianus Junius edidit Baſileæ anno 1553. cujus meminit Petrus Lambecius lib. 4. Bibliot. Vindobonenſis, aliud quoque percelebris vir Franciſcus Blanchinius in egregio opere *de Cyclo, & Calendario Cæſaris* eruditis adnotationibus exornavit. Plura ex-

exhibentur a Grevio in suo Antiquitatis Romanæ Thesauro Tom. VIII. ubi non modo antiqua, verum etiam ex antiquis scriptoribus collecta, atque compacta Calendaria cernuntur, qualia sunt quæ a Thoma Dempstero, a Petro Viola, a Gassendo, a Petavio concinnata fuere. Petavianum Calendarium prefert in titulo *ex Ovidii Fastis, Columela, Plinio*. Ejusdem profecto generis est illud quoque, quod Ovidii Operibus aliquando prefigitur. Inter vetusta, quæ illic proferuntur, Calendaria, extat Calendarium *Rusticum Farnesianum* cum notis Fulyii Orsini, & aliud ita inscriptum: *Kalendarium Romanum sub Imperatore Constantio Constantini M. Filio, circa annum Christi 354. compositum, & Valentino cuidam dedicatum*, quod suis notis adornavit Petrus Lambecius, atque in lib. IV. Biblioth. Vindob. inseruit. Hæc tamen nullius esse pretii, atque ad falsa monumenta seponenda esse multis argumentis contendit supra laudatus egregius Vir Julius (*a*) Pontedera. Ovidii quoque Fastos Calendarium esse recte opinatur Daniel Crispinus, qui ad usum Delphini ipsius Ovidii (*b*) opera egregie exposuit. *Festa autem*, inquit ille, *& tabulas Fastorum hoc opere descripsit Naso; aliquot Astrorum ortus, & occasus pro temporum ratione observanda adsignavit; vicem denique præstiterunt Fasti ejus, quod vocamus nos Calendarium*. Calendarium item fuisse asserunt nonnulli æream de anno tabulam a Macrobio memoratam, quam in publicum Augustus protulit, quaque Fastos etiam com-

(*a*) Epist. 47. pag. 392. & seq.

(*b*) In Notis ad Lib. I. Fast. pag. 421. Tom. III. Edit. Lugd.

complexum autumant, dum sacris diebus alios addidit, quemadmodum Fast. 1. Ovidius canit:

Cæsaris arma canant alii: nos Cæsaris aras,
Et quoscumque sacris addidit ille dies.

At plura de hucusque recensitis Calendariis nec refert, nec inquirere vacat. Hactenus dicta, & præsertim de Hebræis, atque Romanis Calendariis nobis erant necessario præmittenda, ut fons appareret, ex quo tum suorum nomen, tum etiam quodam modo formam Calendariorum Majores nostri hauserunt. Ad nostra igitur Christiana Calendaria sermonem præpropere conferamus.

De Ecclesiastici Calendarii, ac Martyrologii origine, deque illorum inter se se discrimine.

CAPUT II.

Illustrium virorum memoriam ferme omnes bene institutæ nationes, ut eruditis viris perspicuum est, magnis prosequebantur honoribus. *Ægyptii*, quemadmodum ait Clemens Alexandrinus Stromaton 5., *Regum laudes fabulis Theologicis mandantes, anaglyphicis describunt*. Ex Homeri poematibus, Demosthenis, ac Lisiæ orationibus, Philostrato (*a*), aliisque discere est hoc quoque Græcos usos fuisse. Idem de Romanis testantur plerique scriptores, & præsertim Horatius 4. Od. 8. & 4. Od. 9. & Tacitus, qui scripturus Julii Agricolæ vitam his præfatur verbis: *Clarorum virorum facta moresque posteris tradere*,

(*a*) Lib. 1. de vitis Sophistarum in Gorgia: Et in Heroicis in Palamede, ac in Neoptolemo.

dere, antiquitus usitatum, ne nostris temporibus quidem quamquam incuriosa suorum ætas omisit. Quæ consuetudo, ut reliquas gentes posthabeam, etiam apud Hebræos mirifice viguit, ut præcipue colligere est ex Eccles.44 quos imitati Christiani (complura enim Majores nostri, Leone (*a*) Magno testante ex Hebræorum ritibus mutuati sunt) Martyrum, & aliorum sanctorum virorum memorias multis modis (*b*), hymnis videlicet, Orationibus, (*c*) Agapis, Oratoriis, (*d*) picturis, aliisque honoris monumentis a primis usque Ecclesiæ sæculis celebrarunt. Ad hunc morem respexit Apostolus, cum in Epist. ad Hebræos cap. ultimo sic eos alloquitur: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Lei, quorum intuentes exitum conversationis imitemini fidem.* Hinc Sanctus Hilarius adversus Constantium Augustum scripsit: *Apostolus jubet communicare nos Sanctorum memoriis, tu eas damnare elegisti.* Quo circa non bene *apud posteros ex Apostolorum præcepto*, ut adnotat Florentinius Admonit. Prævia II. pag. 7. *recoli poterant, qui præcesserant, nisi ad memoriam eorum retinendam in aliquibus tabulis adnotarentur.* Quod vero ita se haberet res, est nobis locuples testis S. Cyprianus Epist. 37. *dies eorum*, inquit ille, *quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* Ad servandam igitur Martyrum memoriam illorum nomina ad-

no-

(*a*) Sermon. 7. de Jejun. septimi mensis.
(*b*) Vide Prudentium, & Paulinum.
(*c*) Vide præsertim Gregorium Nazianzenum.
(*d*) Videndus præter alios Asterius in Concil. Nicen. II. Act 6. qui de his luculentum profert testimonium.

notabantur, qua in re Ecclesia maximo semper perfuncta est delectu, ut veri a falsis martyribus secernerentur. Hæc enim vero diligentia necessario adhibenda fuit tum ad refellendos hæreticorum impios conatus, qui, ut præsertim Montanistæ, ac Donatistæ suos & ipsi venditabant Martyres, tum ad leve vulgi comprimendum judicium, a quo quilibet injuste cæsi pro Martyribus persæpe habeantur. Non immoror in congerendis hacce de re testimoniis, quæ cuivis obvia esse possunt, maxime si consulet Mabillonii Præfationem in sæculum quintum Ord. Benedict. pag. 438. 439. & seq. Vindicati ergo esse debebant Martyres, idest ab Episcopis, quemadmodum laudato loco asserit Mabillonius, *agniti, & approbati*, ut sacris in Dypticis eorum nomina adcenserentur. Singulis Ecclesiis propria fuisse Dypticha, ignorat nemo, in quibus suorum Martyrum, ac Confessorum nomina publica extabant auctoritate descripta. Hinc a veritate haud aberrare confidimus, si ex hisce sacris tabulis Calendariorum originem dimanasse statuimus, videlicet illorum Codicum, in quibus unaquæque Ecclesia Martyres, ac Confessores suos, diesque adnotabat, quibus memoria eorum anniversaria celebritate ageretur. Sozomenus lib. 5. cap. 3. de Gaza, & Constantia Palestinæ Civitatibus paulo inter se dissitis scribens nobis hunc morem perspicue ostendit: *Utraque enim*, ait ille, *suum seorsum habet Episcopum, suum Clerum, dies item festos Martyrum suorum, & commemorationes Episcoporum, qui ipsis præfuerunt*. Hoc quoque egregie adfirmatur a Mabilloniani Calendarii titulo, qui sic habet. *Hic*

con-

continentur dies natalitiorum Martyrum, & depositiones Episcoporum, quorum Ecclesia Carthaginensis anniversaria celebrat. Hinc cuipiam facile compertum erit hosce in Ecclesia Codices veterrimos esse, immo, ut placet Cl. Viro Patri Josepho Orsi Hist. Eccles. Tom. I. suam ab ævo usque Apostolorum traducere originem. Et revera plura nobis summa antiquitate præstantia adhuc supersunt Calendaria, inter quæ sese mirifice extollunt Bucherianum, ac nuper laudatum Mabillonianum quæ Calendaria quarto, vel ineunte seculo quinto descripta creduntur.

At vero non modo singulæ Ecclesiæ in propriis Dypticis suos recensebant Martyres, verum etiam ab altera ad alteram Ecclesiam Martyrum nomina, eorumdemque acta, & gloriosi agones sedula sollicitudine per encyclicas litteras transmittebantur, ut *nedum*, quemadmodum egregie ait Eminentissimus Cardinalis Lambertinus, nunc summo Christianæ Reipublicæ bono Benedictus XIV. Pontifex Maximus in doctissimo Opere de Serv. Dei Beat. lib. I. cap. IV. pag. 26. *gloriosa certamina omnibus innotescerent, sed & cultus Ecclesiastico judicio in una diœcesi ab uno Episcopo introductus ad alias assentientibus ipsarum Episcopis extenderetur*. Hasce vero Epistolas ad Romanam præsertim Ecclesiam aliarum omnium Ecclesiarum Matrem, ac Catholicæ unitatis centrum transmissas fuisse satis aperte evicunt præter alia, quæ de Actis S. Vigilii Episcopi Tridentini & Martyris in veteri Codice Ms. habentur apud Mabillonium Præf. in sæculum V. Ord. S. Benedic. num. XCIII. pag. 439. Sed actum agerem, si hanc

hanc rem pluribus demonstrare conarer, quum id a multis summis viris, & præcipue a nuper laudato doctissimo Cardinali Lambertino jam egregie præstitum fuerit. Proinde istæ encyclicæ Epistolæ, quarum nonnullæ, ut docti viri optime norunt, adhuc nobis supersunt, confirmata Ecclesiæ pace, Ecclesiasticis tabulis, quæ Martyrologia appellantur, auspicia præbuere, quemadmodum Pamelius in annotat. ad Epist. 37. D. Cypriani, Cardinalis Baronius cap. VI. Proleg. ad Martyr. Rom. Florentinius Admonit. Prævia II. ad vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium, aliique observarunt. Inter hæc, & Calendaria non parvum interesse discrimen apud omnes in confesso est. Quale, quantumve sit late nobis Pagius Senior exponit ad annum Chr. 64. n. 6. *Verum*, sunt ejus verba, *Calendaria longe a Martirologiis differunt; singulæ enim Ecclesiæ, ut dixi, sua habuere Calendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum, & Martyrum, diesque notati, quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur; Martyrologia vero non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis Martyres, Confessoresque generaliter continerent; & in Calendariis quidem nomen Urbis nunquam describitur, cum in usum dumtaxat unius Ecclesiæ comparata sint, at in Martyrologio nomina singularum Urbium, & Opidorum adscribuntur, propterea quod ad usum totius Ecclesiæ institutum est*. Quod etiam a Florentinio Admonit. V. pag. 23. perspicue adfirmatur.

Dacherius, qui, Tom. IV. Spicil. Antiq. Edit. primus Martyrologium Hieronymi nomine vul-

gavit, admonet *in confesso esse apud omnes ante Eusebii tempora ullos Fastos, ulla Calendaria, ulla denique Martyrologia nullibi gentium reperiri*. Primus ergo Martyrologiorum auctor ponitur Eusebius, vel Hieronymus. Et Baronius quidem cap. V. Prolegom. ad Mart. Rom. primum omnium, qui scribendo Martyrologio operam dedit, *ab omnibus*, ait, *prædicari Eusebium*. Id quoque dicitur in Epistola, quæ nomine S. Hieronymi ad Heliodorum circumfertur, a Beda in retractat. ad Act. Apostol. cap. 1., a Walfrido Strabone de Off. Eccles. cap. 28. denique eodem Baronio teste, *a recentioribus omnibus*. Præterea a Beda, aliisque colligitur id secundo loco præstitisse Hieronymum, qui Eusebii Martyrologium latinitate donavit. Videndus Molanus *de Martyrologiis* cap. 11. qui id ipsum adstruit. Baronius vero cap. VI. fuse comprobat Eusebium non Martyrologium, sed fusiori calamo acta Martyrum scripsisse. Quod ad Hieronymum spectat, & epistolas illas Heliodori ad Hieronymum, nec non Hieronymi ad Heliodorum imposturæ arguit cap. VII. & VI. inquiens: *existimandum esse Hieronymum brevi summa librum illum Eusebii in compendium redegisse, ipsumque opus postea Martyrologium esse dictum, ac Hieronymi nomine nuncupatum*. Huic Baronii judicio subscribit Dacherius recitato loco, ideo dicens se duas illas epistolas prætermisisse. Addit vero, quanquam illud exhibuerit hoc titulo: *Martyrologium vetustissimum S. Hieronymi Presbyteri nomine insignitum*, negare tamen se illud integrum Hieronymo asserere tan-

quam germanum fœtum, *cum plures ipso recentiores sanctos constet diversis temporibus tum a Clericis, tum a Monachis pro libito fuisse adjectos, potissime Patronos, aliosque, qui anniversario cultu cujusque in Ecclesiis celebrabantur*; nec tamen exiguo in pretio habendum *similes*, idem Dacherius subdit, *passa sunt accessiones Bedæ, Usuardi, Adonis Martyrologia: quapropter cogerentur identidem eruditi viri his ipsis Martyrologiis fidem denegare, ni adjecta secernerent:* Cl. Vallarsius quoque in nuperrima, cultissimaque Operum S. Hieronymi Editione Tom. XI. pag. 475. Martyrologium S. Hieronymi nomine inscriptum edidit. Et in admonitione prævia consentit suppositis Hieronymi Operibus accensendum Martyrologium, ac Dacherii judicium, verbaque transcribit: Additque ibidem *esse lectu dignum, & bonæ præ cæteris frugis opusculum*. Insuper Sollerius in Præfat. ad Martyrol. Usuardi cap. 1. Martyrologium Hieronymianum, quisquis fuerit ejus auctor, antiquissimum esse probat præter Bedam, auctoritate Cassiodori de Instit. Divin. litter. cap. 32. Tom. II. edit. Gen. pag. 556. & postquam dixerit: *paulo iniquiorem huic Martyrologio unum se scriptorem nosse Catholicum Henricum Valesium, atque illo duce fretum Matthiam Fridericum Bekium hominem hæreticum in commentario ad quoddam suum Martyrologium Germanicum, Martyrologium hoc Hieronymo nequaquam adscribendum contendere*. Denique concludit: *satis nobis erit, si ex communi Catholicorum consensu Hieronymi nomen præferre possit, atque adeo Hieronymianum tuto nuncupari, tametsi*

metsi monumenta desinant, quibus ipsum SS. Doctori certo vindicemus; ita censuere Majores nostri, ita bodie passim loquuntur eruditi universim omnes.

Ubi ab Eusebio, & Hieronymo discessimus, antiquissimus Martyrologii Scriptor Beda nobis sese offert Usuardus in Epist. ad Carolum Calvum, quam Martyrologio suo præfixit, omnium, qui Martyrologia ante ipsum conscripserant, indicem texens, statuit, primum omnium Hieronymum scripsisse Martyrologium, secundum vero ponit Bedam; cujus Martyrologium cum brevissimum esset, & plurimos dies vacuos haberet, a Floro Magistro auctum esse, ait, & locupletatum; idque duplici editione. Ita etiam Baronius cap. 9. & Molanus cap. 3. Bedam, & Florum proxime post Hieronymum memorant. Molanus vero admonet nos ipsum genuinum Bedæ Martyrologium non habere, quod restituere tamen, atque accessionibus spoliare quantum fieri potuit, tentavit Papebrochius Tom. II. Actor. SS. Martii ea secernens, quæ Flori esse existimavit: nihilominus Cl. Viro Marchioni Maffejo magis quoque quam istud a Papebrochio restitutum Bedæ Martyrologium ad genuinum exemplar accedere videtur illud, quod in Veronensi Capitulari Bibliotheca adservatur, cujusque ille mentionem habet Part. I. Biblioth. Veronens. Ms. in Append. Hist. Theol. pag. 94. Ad Florum vero quod attinet, hunc monachum fuisse Ordinis S. Benedicti in Monasterio S. Trudonis Leodiensis Diœcesis ex Trithemio de Vir. ill. cap. 44. putavit Baronius cap.

9. atque ei pariter martyrologium tribuit Guilielmus Cave ad ann. 760. Verum Floro alteri, Lugdunensis Ecclesiæ Diacono scriptori sæculi IX. illud vindicat Natalis Alexander Art. 13. DuPinius ad finem sæculi IX. & præcipue Papebrochius ex Wandelberto, qui mortuus ann. 855. hæc in sua præfatione scripsit: *Ope & studio præcipue usus sum Sancti, & nominatissimi Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi; qui ut nostro tempore revera singulari studio, & assiduitate in divinæ scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia, & veritate cognoscitur abundare*. Post Bedam, & Florum Baronius eodem cap. 9. & Molanus cap. 4. 5. 6. recenset Usuardum, Wandalbertum, Adonem. Quod autem ait Usuardum temporibus Caroli Magni Martyrologium scripsisse, Papebrochius, aliique ita corrigunt, ut sub Carolo Calvo ejusdem Nepote illud adornasse, atque huic non illi inscripsisse velint. Sollerius, qui præ ceteris diligenter de Martyrologiorum Auctoribus disseruit, postquam de Bedæ Martyrologio locutus est, quem non satis feliciter a Floro secrevisse Papebrochium putat, cap. 3. de Adonis, & Usuardi martyrologiis sermonem instituit, & art. 3. præter ætatem Usuardi, quam diximus, Hadrianum, Valesium, Joannem Mabillonium, Gerardum *du Bois*, Claudium Castellanum contra Sigeberti, Trithemii, aliorumque opiniones convenire ait in eo quod Monachus fuerit O. S. Bened. in Cœnobio Pratensi, seu S. Vincentii Lutetiæ Parisiorum, & Martyrologium suum concinnaverit circa

an.

An. 885. Hæc Mabillonius in Præfat. ad sæculum IV. Benedic. Part. 2. cap. 6. num. 169 & in Annal. Benedict. lib. 32. num. 50. *Du Bois* Hist. Eccles. Paris. part. 1. pag. 467. Wandelbertus Prumiensis Monachus; ex eodem Mabillonio, metricum Martyrologium, Bedæ olim perperam adscriptum, composuit circa ann. 843. quod Tom. V. Spicil. Vet. Edit. edidit Dacherius; Quare ante Usuardum non post ann. 50. ut Baronins censuit. Idem Baronius post hos suum Adonem concinnasse Martyrologium arbitratur; Mabillonius quoque in nuper recensita Præf. & Molanus cap. 6. Adonem Usuardo subjiciunt. Sollerius tamen cap. 3. art. 2. Usuardo Adonem ignotum fuisse autumat, non vero illius martyrologium ab eo visum, ac per errorem ut Flori opus habitum; percensetque art. 2. n. 151. circa an. 858. aut forte paulo citius ab Adone nondum Episcopo Martyrologium exaratum fuisse. Nullum præterea Baronius Martyrologii vetustum auctorem nominat; Mabillonius Rabanum laudat ex Fuldensi Monacho, & Abbate Moguntinum Episcopum, qui eodem, ac Wandelberti tempore suos fastos ordinavit ab Henrico Canisio vulgatos Tom. VI. antiq. lect. edit. vet. item Notkerum Monachum San-Gallensem, qui Martyrologium confecit a Canisio eodem Tomo productum. Alios quosdam addit Molanus cap. 7. & cap. 8. de recentiorum Martyrologiis agit, Franciscum Maurolycum in primis laudans. Molanum vero ipsum magnis affert laudibus Ba-

ronius, quod hoc opus aggressus *in densissima sylva primus irrumpens sibi aliisque aditum patefecerit*. Hæc nobis pro re nata de Martirologiis, eorumdem scriptoribus attigisse sufficiat: Qui plura expetit adeat sæpe laudatum Baronium in Proleg. ad Martyr. Romanum, Bollandum in Epistola ad Lætum, Sollerium in Præfat. ad Usuardum, Mabillonium in Præfat. II. in sæculum quartum Ord. S. Bened. pag. 366. & seq. ac Bailetum in Præfat. ad vitas Sanctorum nu. xix. pag. 40. & seq. Ad Calendaria sermonem referamus.



De

De multiplici Calendarii Ecclesiastici nomine, illiusque vario in Ecclesia usu.

CAPUT III.

Singulis ergo Ecclesiis, quemadmodum supra monuimus, sua inerant Calendaria, seu Codices, a quibus Feriæ in honorem vel Dei, vel Martyrum exhibebantur, quique non uno semper appellati sunt nomine. Isti enim *Fasti* a Tertulliano (*a*) nominantur: *Hos primitus Fastos dictos putamus*, ut Papebrochii verbis utar, *non quidem ut Fastos, nefastosque dies juri dicundo adnotarent, (horum enim distinctio Gentilibus observata sub Christianis Imperatoribus exolevit) sed ut descriptis columnatim Kalendarum, Nonarum, atque Iduum notis cum litteris dominicalibus totius anni festa in iis annotarentur*. Proinde in Hierolexico Dominici Macri *Feriale* idem esse ac Calendarium legimus. Quod etiam colligitur ex Epistola sub Hieronymi nomine vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio a Florentinio vulgato præfixa, in qua ad rem nostram sic habetur; *Factumque est, ut omnes pariter statuerent ad tuam scribere charitatem quod vel famosissimos Feriales*, vel ut etiam legitur, *ut famosissimus Feriale de Arcivis Sancti Eusebii Cesariæ, Palestinæque Sacerdotis inquirens, Martyrum ad nos dirigas Festa &c.* Quod nomen a Feriis, seu diebus Festis, quas proferebant, Calendaria invenere.

 At

(*a*) In lib. de Corona Militis.

At quum aliquando sacri Fasti, seu Calendaria Evangeliorum, atque Epistolarum initia, ac fines pro circulo anni exhiberent, idcirco etiam appellati *Capitularia*, & *Comites* fuere. Hujusmodi sunt Calendaria a Frontone, atque a Martenio publici juris facta, & *Comes*, seu liber Comitis S. Hieronymo adscriptus, & in novissima Veronensi editione (*a*) Operum ejusdem Sancti Doctoris iterum vulgatus, quem vero Balutius (*b*) Pamelius (*c*), aliique jam antea ediderant. Polemius Silvius Fastos suos, quibus profanæ etiam solemnitates immixtę sunt, sæculo Ecclesiæ quinto descriptos, *Laterculum* usitata isthoc ęvo voce dixit. Hos Martyrologia nonnulli quoque vocitarunt. Martyrologium, ut alia omittam, inscribitur quidam vetustus Codex a Matthia Friderico Bechio editus, quum idem cæteroqui, purum putum Calendarium sit. Hi & Ephemerides aliquando etiam nuncupantur. Quasdam Græco-Moschas Tabulas, seu Calendaria Cl. Viri Papebrochius, & Assemanus Ephemerides appellarunt. *Est*, ut ait eximius Præsul Joseph Assemanus, Kal. Eccles. Univers. Cap. 7. nu. 1. pag. 83. Ἐφημερίς, *Ephemeris, libellus, in quo acta quotidiana continentur: commentarius, regestum, memoriale. Latini Diarium dicunt, seu Diurnum. Et quidem aptissime id nomen Tabulis nostris Capponianis convenit, in quibus Sanctorum nomina singulis anni diebus recensentur: convenit & aliis tam*

(*a*) Tom. xI.
(*b*) Tom. II. Capitul.
(*c*) Tom. II.

tam pictis quam scriptis Kalendariis seu Menologiis, de quibus suo loco dicendum erit.

Quum vero Μαρτυρολογιον vi vocis nihil sit aliud quam de Martyribus sermo, quumque sacri Fasti, vel Calendaria præter Martyres, Confessores etiam, ac Virgines complecterentur, hinc illi alia græca voce hæc omnia generatim exibente *Hagiologia* non nunquam sunt dicti. Sed hactenus de nomine.

Ad Calendarii usum quod attinet: Compertum est quamplures tum ad sacrificium Missę, tum ad divina officia ordinanda olim, quemadmodum etiamnum fit, ab Ecclesia adhibitos fuisse Codices, videlicet *Evangeliaria*, *Sacramentaria*, *Psalteria*, *Antiphonaria*, *Homiliaria*, aliaque similia, inter quæ Calendaría præsertim enumeranda esse ignorat nemo. Hæc enim quum Psalmodiæ, ac Liturgiæ perutilia atque omnino necessaria semper habita fuerint; hinc in Codicum, *Missalium*, ac *Breviariorum* tum recentiorum, tum antiquorum vestibulis sæpius adscripta perspicimus. Ex his enim, qui ad Dei Festa, qui ad Martyrum memorias agendas, vel in sacrificio Missæ, vel Divinis in Officiis dies dicti fuissent, dignoscebatur. At quam frequentissimus Ecclesiæ Calendariorum fuerit usus, quispiam ex se facile pernoscet, si ad ea, quæ ab istis exhibentur, animum parumper advertat. Nam præter cujusque mensis nomen aliquando etiam Græce, ac Ebraice designatum, ut in Palatino-Calendario a Dominico Georgio in Appendice Adonis vulgato inspicitur, ac præter Calendas, Nonas, Idus, Dominicales litteras columnatim de-

descriptas, Autumni, Hiemis, Veris, ac Æstatis initia, Lunationes, solarem per Zodiaci signa cursum, & Ægyptios dies, nobis etiam Jesu Christo, Virgini Mariæ, atque sanctis cujusque Civitatis, ac Diœcesis sacros dies Calendaria proferunt. Et quemadmodum Gentiles dies Fastos rubro, Nefastos vero atro distinguebant colore, unde ab Ovidio *Fasti picti* appellantur: sic a minoribus majora festa colorum diversitate Calendaria nostra secernunt, illa nigro, hæc purpureo colore adnotantia. Præterea Vigilias, Octavas, aliquando etiam Ecclesias, in quibus Conventus vel stationes fierent, Scrutiniorum dies, Jejuniorum, ac Litaniarum tempora, Ecclesiarum dedicationes indicant. Divinum insuper Officium, & præsertim Nocturnorum lectiones modo plures modo pauciores in his ordinantur; ut ex Monachorum Calendariis speciatim colligere est. In vetusto, exempli gratia, Cisterciensi Calendario a laudato Georgio edito in solemnioribus celebritatibus duodecim statuuntur lectiones, in minoribus vero commemoratio tantummodo dessignatur. Proinde in nonnullis ex istis præter Sanctorum nomina singulis, vel fere singulis diebus emortuales dies adnotati occurrunt, unde Calendaria simul, & Necrologia sunt. Tradit Mabillonius Analect. Tom. III. pag. 485. Dypticorum exemplo Necrologia apud Monachos obtinuisse. In Νεκρολογιῳ, quod mortuorum liber interpretatur, ex veterrimo Ecclesiastico instituto nomina describebantur fratrum, benefactorum, illorumque, qui *ex condicto* fuerant in societatem adscripti.

pti. Hinc factum est, ut Calendarium pro Necrologio aliquando sumeretur, ut ab Anselmo Epist. 21. lib. 1.: *Vir*, inquit ille, *qui a nobis nuper moriens Monachum sumpsit habitum, si etiam benedictionem assumpserit; mandate nobis nomen, & diem obitus ejus, ut in nostro Calendario scribatur*. Non modo nomen, sed dies etiam obitus a S. Anselmo requiritur, eo quod nomina illorum, qui in Necrologio adsignabantur, quo quisque mensis die obierat, nominatim ad *Primam* post Martyrologii lectionem recitabantur. Conferas velim Mabillonium in Appendice Monumentorum n. xxx. & lib. xxxv. 8. xxxxi. ubi de societatibus Monasticis, & de ritu Necrologii inter Divina Officia legendi erudite tractatur. Hujusmodi Necrologia in medii aevi monumentis passim occurrunt. A Chronico Virdunensi apud Labbeum Bibliothecae novae Mss. Tom. 1. pag. 172. Calendarium memoratur, in quo benefactorum nomina cum rebus iis, quas Ecclesiae donaverant, descripta cernuntur. Hujusmodi quoque sunt supra laudatum Calendarium Palatino-Vaticanum a Georgio editum, Calendarium ad usum Canonicorum Basilicae SS. Theodori, & Donati extra Lucensem Urbem a Florentinio *(a)* memoratum, Gertrudianum, quod nos infra dabimus, aliaque, quae recensere minime refert. Caeterum praetereundum non est Calendaria marmori incisa, vel alio modo edita publice exponendi veterrimam in Ecclesia extitisse consuetudinem, quae praesertim apud Monachos diutius ob-

(a) Admonit. VI. pag. 31.

obtinuit. Hujusmodi enim præclara antiquitatis monumenta in parietibus descripta, adhuc Romę in aliquibus pervetustis Monasteriis invisuntur: ut est illud in Claustro S. Anastasii *ad Guttam jugiter manantem* sive *ad tres Fontes*, de quo hæc Mabillonius Tom. I. Musęi Italici pag. 142. *In eodem Claustro Kalendarium Festorum, quæ per totum annum in ordine celebrari olim mos erat, item depictum est. Fugientes litteras, atque picturas Illustrissimus Commendator a Puteo depingi curavit. Picturæ utræque annos quadringentos excedunt.* Hisce persimiles monumentis, ut alia omittam; sunt celebres Capponianæ Tabulæ Græco-Moschę Sanctorum Icones, ac nomina eleganter depicta *per circulum anni* exhibentes, quę commentario illustratę in lucem prodibunt in nuper memorato egregio Opere *Kalendaria Ecclesiæ Universæ* inscripto, quod doctissimus Præsul Joseph. Simonius Assemanus prælo parat, cujusque primum Tomum magno Litteratorum plausu Romæ anno 1750. jam edidit. Proinde *Kalendarium Ecclesiasticum*, quod olim extabat in ruinoso muro Monasterii S. Mariæ in Monte Aventino, describit eruditus Pater Constantinus Cajetanus Abbas Ordinis S. Benedicti Tom. I. pag. 514. *Miscellanea Sac. & profan.* Tomis duodeviginti comprehensę, quæ in Romani Archigymnasii Bibliothæca, servatur. Memorat & Cl. Joannes Vignolius in *Libro Pontificali*, seu de gestis Romanorum Pontificum *antiquam Tabulam marmoream sub porticu Ecclesiæ S. Silvestri in Capite Sanctorum aliquot, Romanorum præsertim Pontificum dies nata-*
les

les exhibentem, & paucis abhinc annis Neapoli Ecclesiasticum Calendarium marmori incisum repertum fuit, quod doctis exornatum commentariis Cl. Viri Mazzochius, ac Sabbatinus ediderunt. Hoc loco animadvertere liceat etiam apud Romanos gentiles sua in tabulis lapideis Calendaria describendi morem obtinuisse, quemadmodum ex marmoreo Calendario, quod adhuc Romę in ædibus Farnesianis adservatur, atque ex iis, quæ Gruterus exhibet pag. CXXXIII., aperte colligitur.

Hic fortasse abs re non erit de Orientalis Ecclesiæ hanc in rem codicibus aliqua obiter innuere. Illa quoque, Latina ut Ecclesia, suis utebatur Martyrologiis, vel Calendariis, quæ Menea, Menologia, ac Sinaxaria appellavit; immo variæ sectæ, in quas Græca dividitur Ecclesia, singulæ singula habuere Menologia, quæ Martyrologiis nostris respondent, quemadmodum Leo Allatius *de libris Ecclesiæ Græcæ*, & post eum Joannes Franciscus Buddæus in Isagoge Historico-Theologica (*a*) erudite adfirmant. A Gilberto Genebrardo ante Psalterium a se commentario illustratum Syrorum Calendarium profertur. Varia memorat Græcorum Menea Calendariis nostris respondentia Joannes Bollandus in Præfat. ad Abbatem Letiensem (*b*) Tom. I. Actorum Sanct. Janu. ubi nos admonet Romæ in Maronitarum Collegio Coptorum Calendarium adversari, cujus specimen nuper laudato loco is nobis exhi-

(*a*) Tom. II. pag. 804.
(*b*) Pag. 46. et Seq.

exhibet. Et Dn. Jobus Ludolfus in Hist. (a) Æthiopica Habessinos sua quoque habere Martyrologia, vel Calendaria asserit. Rutenorum vero Calendarium Antonio Possevino Clar. Vir. S. J. debemus, qui primus in Apparatu Sacro illud edidit, quodque cum Græcorum Calendariis consentire pronuntiat Bollandus, cujusque specimen apud eumdem habetur.

Modo nobis dicendum foret de Alphabeti litteris, quæ in Calendariis ante Sanctorum nomina disposita signantur, *quæque*, ut ait Baronius, *indicant singulis diebus totius anni quota Luna sit pronuntianda, suntque numero 30. quod nimirum sunt Epactæ ex quibus Cyclus Epactarum compositus est: quarum hæc est significatio : Littera A. significat Epactam I. B. Epactam II. C. Epactam III. D. Epactam IV. & sic deinceps aliæ Litteræ alias Epactas significant*. Et nonnulla quoque adnotanda essent de Calendis, Idibus, & Nonis, quæ e regione adnotantur: ea de causa Latina ab Ecclesia factum *ut ex certis numeris*, quemadmodum doctissimus Cardinalis Baronius eloquitur, *notis adjectis legitimæ Lunæ certiora essent tempora ad Festa Paschalia celebranda, cum alioqui Gentiles levibus ex causis intercalare consueverint dies. Cæterum congruunt ea nomina Calendæ, Nonæ, & Idus tribus Lunæ mutationibus, unde etiam nomina acceperunt, ut erudite docet Plutarcus in Problem. Rom. quest. q. 24. licet alii alias referant rationes. Sic igitur per Calendas, Nonas, & Idus dies sin-*

(a) Lib. III. cap. 4. 8. 45.

singulos recensendo idem est Lunæ cursum trifariam distinctum significare. At quum eisdem de rebus, quas Beda de temp. rat. c. 21. *Libellum annalem* vocitat, idem Baronius recitato loco, Durandus, Petavius, Blondellus, Usserius, aliique celeberrimi Viri magno eruditionis apparatu egregie edisserant, has proinde nos missas facimus ne actum agamus.



De

De utilitate, quæ Ecclesiasticis in rebus a vetustis Calendariis percipi potest.

CAPUT IV.

AT enim quidnam utilitatis vetusta hæc Hagiologia præstant? Si quis ita perquirat, consulat oportet viros in Ecclesiastica eruditione apprime versatos, ex iis enim quanti sint vetusta hæc monumenta facienda facile dignoscere poterit. Docent enim illi primum per hæc sacra monumenta nobis aditum præsertim patere ad recte agnoscendum quot, qualesque fuerint Sancti Viri, quos a primis usque sæculis veluti proprios quælibet coluerit Ecclesia. Proprios, exempli causa, Carthaginensis Ecclesiæ Sanctos, uti a fonte, ex veterrimo haurimus Carthaginensi Calendario, quod Mabillonius Tom. III. Analectorum vulgavit. Idem de aliis Ecclesiis altera præstant Calendaria, quibus mirum est, quot lites, quotque errores e medio tollantur. Qua de re in sua Veronensi Ecclesia præclarum nobis exhibet exemplum celeberrimus Marchio Scipio Maffejus, ubi de vetustis ejusdem Ecclesiæ Calendariis edisserens in Biblioth. Veronen. Mss. Part. I. pag. 93. edit. ad calcem Hist. Theol. sic ait: *Plures ex primis Episcopis, quos recentiores Historici Canoni nostro consignant, frustra quæras S. Euprepius, quem a Petro Apostolo missum prædicant, non memoratur. S. Zenonis Martyris præconium non additur.* Insuper ex istis qui sancti

citius,

citius, qui tardius publico religioso cultu donati fuerint, qui Martyres, qui Confessores extiterint, qui illorum *Natales*, quique *Translationum* dies fuerint, diserte colligitur; verum, ut uno dicam verbo, a pervetustis Calendariis illarum Ecclesiarum, quarum usui adornata fuere, brevis, sed succo plena acute secernenti Hagiologica profertur historia. Præter quam vero hæc quoque monumenta aliquando indigitant, quo ritu, ac ratione Psalmodia, & Liturgia in eisdem Ecclesiis ordinarentur, quinam illarum ritus, ac consuetudines fuerint, atque earum magnos interdum etiam innuunt eventus. Ex Libello Festivitatum Aquilejensis Ecclesiæ, quem infra dabimus, ut aliquo exemplo utamur, accipimus, quando eadem in Ecclesia scrutinia inceperint, quando Vigiliæ haberentur, quandoque Dies Cinerum, ac sanctissimus Paschatis dies indicerentur: atque a Mediolanensi Calendario a Clarissimo Viro Dominico Georgio in calce Adonis edito insignis nobis Mediolanensium victoria exhibetur, quæ die xxi. Februarii his memoratur verbis: *S. Ambrosii de Victoria*. Hic de percelebri agitur victoria, quam an. 1337. vel fortasse melius an. 1339. ad *Parabiagum* habuit *Luchinus Vicecomes* contra Teutonicos, qui pro *Leodrixio Vicecomite* stabant, quam quum uni S. Ambrosio idem Luchinus acceptam referret, ob tanti beneficii memoriam, ipse, & Johannes Mediolanensis Antistes Ecclesiam, ubi dimicatum fuerat, Deo sub Ambrosii nomine dicarunt, quam nuncupandam esse jusserunt *Victoria S. Ambrosii*. Hac de victoria plu-


ra Bernardinus Corius Hist. Mediolanen. P. III. Petrus Azarius in Chronico Cap. VIII. inter scriptores rerum Italicarum Tom. xvi. pag. 315. aliique.

Quum autem passim occurrant, quemadmodum superiori capite adnotavimus, Calendaria simul & Necrologia Episcoporum videlicet, Fratrum, ac Benefactorum jam Defunctorum nomina exhibentia, quibus interdum etiam bona per eos Ecclesiæ oblata adjiciebantur, ut videre est in Calendario Palatino-Vaticano a Georgio mox recensito loco vulgato, ubi VI. Id. Martii nomen adnotatur cujusdam Burchardi Canonici *Everbacensis, qui contulit Ecclesiæ duo talenta argenti, & duas Casulas purpureas, & cappam*. Plures identidem ex iisdem Hagiologio-Necrologiis selectas, atque perutiles haurimus notitias. Quot exempli gratia Episcoporum nomina, quæ vel omnino perierunt, vel adhuc delitescunt in illis patent, unde Episcoporum Catalogis quantum utilitatis dimanet, nemo non videt, nam isti eisdem nominibus haud raro vel augentur, vel corriguntur, quot insignes viri, quæ pretiosa dona, ac memoratu digna, & quæ tandem permultæ aliæ eximiæ res ab eisdem proferuntur, quæ tum Ecclesiasticam, tum vero profanam summopere juvare possunt historiam.

Proinde multa præsertim de *Festivitatibus* veterrima Hagiologia cum recentibus conferenti patebunt, videlicet quando hæ inceperint, quandoque ab una ad alteram dimanarunt Ecclesiam, quo tempore ex crebris Calendariorum mutatio-

ni-

nibus auctæ fuerint, quæ solummodo Metropoli, quæ toti Provinciæ communes extiterint, aliaque complura id generis scitu dignissima sese offerent, quæ ad multiplices Ecclesiarum ritus intime dignoscendos viam sternere valent. Sed hactenus hæc de Calendariorum utilitate, quam maximam esse inficiabitur nemo, cum ab ipsis tot singulares penitioris Ecclesiasticæ eruditionis res sumere possumus, quarum notitia, ac cultu nihil Christiano homine dignius, nihil antiquius esse debet. Reliqua persequamur.



De Vigiliis.

CAPUT V.

QUum superioribus Capitibus de Ecclesiasticorum Calendariorum origine, nomine, usu, antiquitate, atque utilitate satis superque dictum fuerit, reliquum est, ut ad illas, quæ ab istis exhibentur, res explanandas descendamus. Et quum primæ omnium nobis occurrant Vigiliæ, idcirco æquum est, ut a Vigiliis sermo noster incipiat, quæ vero apud Majores nostros ita frequentes fuere, ut illi a Gentilibus per derisum *Lucifuga natio* appellarentur, quemadmodum tradit doctissimus Pater (a) Mamachius in peregregio Opere Origin. & Antiquit. Christianarum. Maxima Vigiliarum usum antiquitate præstare tum ex sacris, tum ex profanis scripturis colligere possumus. *Media nocte surgebam, ut confiterer tibi super judicia justitiæ tuæ* Rex Propheta decantat. *Convocatus populus per totam noctem in Ecclesiam* habetur in Judit. 6. Dominum quoque, ut Divi Hieronymi verbis utar, *in Evangelio legimus pernoctasse, & Apostolos clausos carcere tota nocte vigilasse*. De profanis vero pernoctationibus si aliqua hic mihi liceret in medium proferre: nocturna sacra, quibus in Æde Cereris Mulieres pervigilabant a Plauto Aul. 4. 10. 65. meminisse demonstrarem, atque ex Cicerone perspicuum esse nocturnas in templis per-

(a) Tom. I. lib. 1. Cap. 11. §. 1.

pervigilationes in usu apud Romanos fuisse, quod ex Svetonio quoque colligitur, qui in Galba de cultu Fortunæ agens *anniversarium pervigilium* apertis verbis recenset, idem quoque de Græcis (*a*) Philostrati, atque (*b*) Arnobii auctoritate indicare possem.

Omnes vero, ut loquitur Tertullianus, *antelucani conventus* Vigiliæ appellabantur: quorum alteri singulis habebantur noctibus, & *Matutini* aliquando dicti fuere, qui etiamnum quodam modo vigent apud severioris observantiæ Cœnobitas, qui ad Psalmodias, laudesque Dei nocturnas peragendas singulis per annum noctibus exurgunt; alteri vero noctibus vel anniversariam Martyrum celebritatem, vel Dies Festos duntaxat solemnissimos præcedentibus fiebant, de quibus modo nobis loquendum est. S. Hieronymus adversus Vigilantium ad rem nostram sic ait: *De Vigiliis, & pernoctationibus Martyrum sæpe celebrandis in alia epistola respondi breviter. Quod si ideo eas existimas respuendas, ne sæpe videamur Pascha celebrare & non solemnes per annum celebrare vigilias, ergo & die dominico non sunt Christo offerenda sacrificia, ne Resurrectionis Domini crebro Pascha celebremus.* Thomassinus in tractat. de Jejun. Part. I. cap. 18. num. 9. observat I. duplex hic Vigiliarum genus commemorari, quas olim christiani in Martyrum Basilicis anniversario die Natali agebant, quæ præsertim in Oriente Sabbati die celebrabantur; II.

C 3 Pa-

(*a*) In Heroicis in Achille.
(*b*) Lib. 5.

Paschatis, & cæterarum Dominicarum. De his postremis fuse Cassianus lib. III. Instit. cap. 8. de vigiliis quoque Sabbatorum in Oriente, luculentus testis est idem Cassianus ibidem cap. 9. & præter alios S. Bernardus serm. in Vigil. SS. Petri & Pauli Tom. II. pag. 271. Edit. Venet. quomodo hæ Vigiliæ celebrandæ forent nos eximie docet.

Bene Thomassinus in Tract. de jejun. Part. I. cap. 18. vigiliis ferme omnibus initium a media nocte factum tradit. Certe Chrysostomus Homil. IV. in verb. Isaiæ: *Vidi Dominum* &c. (Tom. VI. Oper. ex recent. Edit. Montfauconii pag. 121.) *Ecclesiam* inquit *ingredere*, *ut Civitatis videas nobilitatem*: *ingredere inquam*: *vide pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes*, *vide sacra pervigilia diem cum nocte copulantia*. S. Basilius in Psal. 114. narrat populum a media nocte ad meridiem in Ecclesia se expectantem mansisse. Aliquando tamen Vigilias plus etiam noctis, immo noctem totam occupasse colligitur ex Socrate lib. VI. Hist. cap. 8. atque ex Theodoreto lib. II. Histor. cap. 13. Has forte diuturniores Vigilias significat & Chrysostomus ipse Hom. Post Ter. Mot. (Tom. II. Oper. pag. 717.) *Inter diem & noctem discrimen non nostis*, *sed utrumque tempus diem facitis*, *non aerem mutantes*, *sed pervigiliis noctem illustrantes*: *noctes vobis insomnes somni tyrannis soluta est*. Et homil. in Martyres (Itidem Pag. 668.) *noctem convertistis in diem per sacras istas vigilias*: Præcipue id æstimare licet de Vigiliis qui-

quibusdam, ut Paschæ, de qua sermonem habens (*a*) August. *Quanquam*, inquit, *tam Clara sit Vigilia hujus celebritas toto orbe terrarum, ut etiam illos vigilare carne compellat, qui corde, non dicam, dormiunt, sed tartarea impietate sepulti sunt . . .* & paulo post: *Eorum quippe, qui nullo modo Christi sunt nomine consignati, tamen ista nocte multi dolore, multi pudore, nonnulli etiam, qui fidei propinquant, Dei jam timore non dormiunt*: & alio loco: *Illam noctem agimus vigilando, qua Dominus resurrexit*. Idem quod de Paschatis pervigilio, de aliis quoque solemnissimis Vigiliis dicendum esse elicimus ex Venantio Fortunato lib. 11. Carm. 10. ubi de Parisiensis Ecclesiæ Vigiliis loquens, sic cecinit:

Pervigiles noctes ad prima crepuscula jungens
Construit angelicos turba verenda choros.

Vigilias, quæ magna celebritate agebantur, hoc loco Venantium designare ex carminibus, quæ subdit, manifestissime constat.

Inter hasce vero pernoctationes longe celeberrima semper ubique habita fuit Paschalis pernoctatio, *quæ velut Mater omnium Sanctarum Vigiliarum* ab Augustino mox recensito sermone appellatur, quamque aggredi non est ausus vigiliarum alioqui somniculosus hostis Vigilantius, qui præter hanc, ut a D. Hieronymo accepimus, omnes abrogare vigilias conatus est, eas nempe existimans respuendas, *ne sæpe videamur Pascha celebrare*. At hujusce impurissimi hæretici deliramenta a Sancto Doctore copiose re-

(*a*) Tom. V. ser. 219. Edit. Venet.

refelluntur, ut in ejusdem libris adversus Vigilantium inscriptis videre est. Quanta Paschalem noctem celebritate Constantinus Imperator prosequi consuevisset indicat Eusebius lib. IV. de Vita Const. cap. 22. illa in solemni nocte præter lectiones, psalmorum, hymnorumque cantum sacra peragebatur synaxis, & simbolum, Orationemque Dominicam electi reddebant, Amalario Fortunato teste lib. 1. de Of. cap. 8. Sed hacce de re non erat Ecclesiarum omnium una, & constans ubique consuetudo. In Affricanis enim Ecclesiis Augustini ætate seorsim ab Orationis Dominicæ redditione redditio fiebat Symboli, ut testis est ipse (a) Augustinus serm. CCIX. ubi ait: *Ideo die Sabbati, quando vigilaturi sumus in Dei misericordia, reddituri estis non Orationem, sed Symbolum*. In hoc Paschali pervigilio etiam Cathecumeni Baptismalibus aquis lustrabantur, quemadmodum præter alios ex Augustino in nuper laudato sermone colligere est. Porro adhuc extant sancti Gaudentii Brixiensis Episcopi sermones duo in Vigiliis Paschatis ad Neofitos; quorum alterum regressis a fonte Neofitis habuit, *ut edendi paschalis sacrificii disciplinam rudes neophiti discerent*, ut eloquitur ipse serm. v. Nefas enim erat, ut compertum est, in Catechesibus ante baptismum baptizandis mysteria aperire; sed quum eos omnino imparatos ad illa admittere haud oporteret, ipsa in nocte Paschali de ipsis breviter, & quantum per tempus licebat, antequam ad ea accederent, eru-

(a) Tom V. pag. 963.

erudiebantur. In constit. Apost. lib. 7. cap. 40. præcipitur, ut qui Catechizatus est cum jam jam erit baptizandus ὅταν ἦ ὥρας αὐτὸ λοιπὸν βαπτισθῆναι addiscat, quæ ad abrenuntiationis, & pacti cum Christo ineundi modum pertinent. Hujusce instructionis ipso baptismatis tempore habitæ exempla supersunt in Catechesi XVIII. Sancti Cyrilli Hierosolymitani.

Præterea in Vigiliis Paschalibus lucernæ, & Cerei benedictio quoque habebatur. *Propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum*, ait Canon nonus Concilii IV. Toletani, *solemniter hac benedicimus*, lucernam videlicet & Cereum, *ut sacræ Resurrectionis Christi Mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis accipiamus*. Veterrimum in Ecclesia esse Cerei in Vigiliis Paschalibus benedicendi ritum ex Ennodio ante annum DXX. Ticinensi Episcopo Mabillonius in notis ad Lectionarium Luxoviense optime adprobat. Non una vero veteribus Christianis hanc celebrandi noctem inerat ratio. Harum nonnullas in medium profert Isidorus Orig. VI. 17. inquiens: *Hæc est nox, quæ nobis propter adventum Regis nostri pervigilio celebratur, cujus noctis duplex ratio est, quod in ea & vita tum recepit eum passus est, & postea orbis terræ regnum recepturus est*. Quibus verbis Isidorus innuere videtur quandam Judæorum traditionem ab Hieronymo ad Matth. XXV. b. memoratam. *Quæ traditio est*, ait Hieron. *Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit.....Unde reor & traditionem Apostolic. permansisse, ut in die Vi-*

gilia-

giliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Christi & postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. De hujusce tandem solemnis pervigilii celebrandi forma nonnulla in Lupi, & Euphronii Epist. ad Tharasium Tom. I. Concil. Gall. pag. 122. in S. Bonifat. m. Canon. 24. Tom. 9. Spicil. & in Constit. Apost. lib. V. cap. 19. habentur.

Haud minori antiquitate Paschalis pernoctationis Epiphaniæ, atque Pentecostes pervigilia fuisse nemo inficiabitur. De Epiphaniarum pernóctatione agit Victor Uticensis de Persecut. Vandal. lib. II. ubi refert Eusebium Carthaginensem Episcopum cuidam cæco oculos aperuisse hac in pernoctatione, quando nimirum ob celebritatem Festivitatis hymni nocturni per totam Ecclesiam, canente populo, concrepabant. De hac Vigilia item Lupus, & Euphronius in allegat. Epist. testantur *habere suum speciale cultum*: cum vero subdant postea, sermone enim habito de Vigilia Natalis Domini: *quæ vigiliæ vel maxime, aut perpete nocte, aut certe in matutinum vergente curandæ sunt*. Quæ verba a Thomassino Part. I. cap. 18. n. 13. de Natalis, & Epiphaniæ Vigiliis interpretantur. Ejusdem etiam mentionem habet Petrus Damiani lib. VI. Epist. 35. inquiens *Epiphaniorum quoque Vigilias dignum est vigilare*; ac deinde in hac quoque jejunium servandum esse contendit. Extant Divi Augustini in Pentecostes Vigiliis sermones duo, quibus maxima illarum vetustas satis superque declaratur.

Illos

Illos qui ante quintum Ecclesiæ sæculum saltem occidentali in Ecclesia Dominicæ Nativitatis solemne pervigilium addicunt nihil a verosimili distare arbitramur. Id vero sibi facile suadere quisque poterit, si cujuscunque festi diei celebritatem a sua nocte initium ducere animadverterit cum Augustino, qui Sermone CCXXI. in Vigiliis Paschæ, ad rem nostram sic loquitur: *deinde Sabbati dies a sua nocte incipiens finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominici diei, quoniam eum Dominus suæ Resurrectionis gloria consecravit. Illius itaque noctis ad initium Dominici diei pertinentis nunc ista solemnitate memoriam celebramus. Illam noctem agimus vigilando, qua Dominus Resurrexit.* Illam vero noctem, qua Dominus natus est, quæque celeberrimi, atque Nativitatis Dominicæ gloria consecrati diei initium erat, quis credat primis Ecclesiæ sæculis fuisse somniculose peractam? Id profecto nimium a ferventi priscorum Fidelium erga Servatorem nostrum pietate abhorreret? Nec præterea ullo modo credendum est ab antiquis Fidelibus Christi Domini Nativitatis pervigilium præteriisse, quum contra Martyrum pernoctationes solemniter celebrarent. Nuper laudatus sanctissimus Pater Augustinus, ut reliqua hujusce rei exempla posthabeam, Christianos solemnibus Vigiliis noctem transegisse testatur, quæ Sancti Cypriani Episcopi, & Martyris natalitium antecedebat diem. Quicquid vero sit perspicuum est, omnes ad unum consentire, Natalitiam pernoctationem quinto Ecclesiæ sæculo jam extitisse percelebrem. Id nobis optime tradunt Gre-

Gregorius Turonensis lib. x. Hist. Franc. cap. 31. num. 6. & lib. III. de Miraculis S. Martini cap. 16. & laudata Epistola Lupi Tricassini, & Euphronii Augustudunensis Episcoporum scripta A. D. 461. Meminit & Vigiliæ hujus Petrus Damiani lib. VI. epist. 35.

Inter antiquissima pervigilia fuit semper habita pernoctatio, qua Joannis Baptistæ Natalem diem Christiani præveniebant. Hujus vigiliæ meminit Gregorius Turonensis lib. x. cap. 31. Cum solemni Missarum celebratione hujusmodi Vigilia peragebatur, ut ex S. R. E. Liturgicis libris constat. Sacramentarium Gelasianum pag. 154. ad VIII. Kal. Julii, nimirum in nocte, quæ diei 24. Junii imminet, Missam habet *in Vigilia Sancti Johannis Baptistæ*, ac mox aliam *in Natali*, ex quo apparet harum duarum Missarum alteram nocti, alteram diei Sancti Johannis Baptistæ fuisse adsignatam; in Sacramentariis Gregorianis Menardi, & Angeli Roche hac de Vigilia propria habetur Præfatio; ac demum in Codice regio ex Gelasiano, atque ex Gregoriano conflato tres describuntur Missæ, una nimirum in Vigilia, altera *in media nocte* & tertia *in die*, Petrus Damiani mox laudato loco, Elgaldus Monachus in vita Roberti Regis Francorum apud du Chesne Tom. IV. pag. 71. & Hadrianus I. in epist. 8. ad Carolum M. hanc pernoctationem recensent.

Satis antiquum B. Mariæ Virginis Assumptionis pervigilium esse ex Sancto Petro Damiano colligimus, qui recitata epistola hujusce vigiliæ ce-

celebrandæ morem *antiquitus tenuisse tradit*. Has tamen a Leone IV. qui sedit Ann. 847. institutas fuisse ex Anastasio in eodem Leone colligit Joannes (a) Fronto contra Baronium, qui istas antiquiores esse arbitratur. Maxima vero celebritate Romana præsertim Ecclesia vel ab antiquissimis temporibus Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Vigilias celebrare consuevit. Harum meminerunt S. Gregorius Magnus Hom. 37. in Evang. Gregorius Turonensis Episcopus lib. x. cap. 31. & Hadrianus I. in epist. ad Carolum Magnum. Veterrimæ quoque habentur Vigiliæ Sancti Laurentii, quæ quorsum peculiari præ cæteris martyribus cultu agantur, nonnulla ex conjectura a Baronio proferuntur in notis in hanc diem. Hæ quoque occurrunt in Calendario a Frontone edito, de hisque præter alios agit Guillelmus Malmesburiensis lib. V. Hist. pag. 106. qui quonam modo apud Danos illæ obtinuerint nobis enarrat. At omnia hic pervigilia recensere non vacat. Animadvertendum tamen est, quemadmodum etiam adnotavit Jo: Baptista Solerius in Usuardum, ubi de Vig. Nativ. agit, in antiquioribus Martyrologiis raro Vigilias commemorari. Nullæ in Hieronymianis occurrunt; paucas admodum nobis exhibet Beda. Profecto mirandum est Rabanum Maurum, qui Bedam excribere solet, duas tantum adnotare Vigilias, *Vigiliam* nimirum *Epifaniæ*, ac *Vigiliam Sancti Johannis Baptistæ*.

At

(a) In Notis ad suum Calendarium pag. 192. Edit. Veron.

At vero non modo ante ſolemniſſimos dies vel J. C. D. N. vel Deiparæ Virgini, vel Sanctorum memoriis ſacros Vigiliæ agebantur, ſed iſtæ ante illos etiam habebantur dies, qui Eccleſiarum dedicationes præcedebant, quemadmodum conſtat ex Gregorii Turonenſis libro de gloria confeſſorum cap. xx. ubi cujuſdam Oratorii per ſe factam dedicationem deſcribit.

Quiſpiam fortaſſe quæret quo tempore Eccleſiaſticæ pernoctationes deſueſcere cœperint. Si nonnullis credimus ab Ambroſio, atque ab Auguſtino hæ proſcriptæ fuerunt, atque eliminatæ. Sed nihil hac de re magis a veritate alienum excogitari potuit. Quum contra, Ambroſio, & Auguſtino Epiſcopis, Vigiliæ ſanctius, vigilantius, ac propenſiori ſtudio, quam temporibus præcedentibus, & in Italia, & in Africa actæ fuerint, quarum ut celebritas magis magiſque augeretur, illis Ambroſius ſacros adjunxit hymnos. Ut hæc futilis opinio penitus refellatur Patrum horum ſermones legere ſat eſt. Neque vero illis aſſentimur, qui a Bonifacio I. Summo Pontifice abrogatas fuiſſe pernoctationes demonſtrare contendunt. Quum a Sancto Leone, qui tertius ab eo rexit Eccleſiam de Vigiliarum obſervantia ſuis in ſermonibus mentio ſæpe habeatur. Illas quoque memorant Sanctus Gregorius Magnus, ac permulti alii poſteriores Eccleſiaſtici ſcriptores, quorum unum noſtratem tantummodo proferre contenti erimus, Paulinum videlicet Sanctum Aquilejenſem Patriarcham, qui in

lib.

lib. *Exhortationis ad Henricum Ducem Forojulienſ.* cap. XLVII. pag. 49. poſt quam profanas, gentileſque execraſſet Vigilias, ad Chriſtianas, piaſque pernoctationes his adhortatur verbis: *Tales Vigilias*, nimirum profanas, *juſti devitaverunt*, *& ſanctas Vigilias arripuerunt*. At non immoror in expiſcando tempus quo eædem haberi deſierint: Nam ſi loquimur de quotidianis vigiliis, ſive matutinis precibus, quamdiu ille mos viguerit nos docet Martenius *De antiqua diſciplina* in divin. offic. cap. VII. nu. 3.; quod vero ad alias peculiares Vigilias attinet, ſatis ſuperque illarum abrogatio a Thomaſſino *de jejun.* part. II. cap. XIV. n. 12. indicatur.

Vigiliis Jejunium diſpenſationis ſucceſſiſſe nos docet Durandus (*a*) *Jejunium diſpenſationis*, ut ipſe loquitur, *quod celebratur in Vigiliis ſolemnium dierum, & magnarum feſtivitatum, ut Natalis Domini, quæ ideo dicuntur Vigiliæ, quoniam antiquitus in præcipuis Civitatibus, quo nocturnalia agebantur officia, & populus, qui ad feſta venerat tota nocte vigilabat .... hujuſmodi Vigiliæ ſunt interdictæ, & inſtitutum, ut loco earum fiant jejunia, quæ jejunia adhuc retinent nomen officii, nam communiter Vigiliæ, & non jejunia nuncupantur ... Hæc igitur inſtitutio dicitur diſpenſatio, quia jejunium ponitur loco Vigiliarum*. At quæ hac de Vigiliarum jejunii derivatione doctiſſimus Vir cogitavit mihi omnino probari nequeunt. Jejunia enim, ut fuſe comprobat ſupra laudatus Thomaſſinus de jejun. Part. II. cap. XIV. florentibus quoque Vigiliis, po-

(*a*) Lib. 6. cap. 7. num. 8. pag. 175.

ponebantur, neque, illis duntaxat sublatis, instituta fuere. Idem quoque ex antiquissimis Sacramentariis confirmari potest: In Sacramentariis, exempli gratia, Gregorianis ab Ugone Menardo, & Angelo Rocha editis habetur *præfatio* propria, ut alibi innuimus, in Missa de Vigilia Sancti Johannis, ubi commemoratur *solemne jejunium, quo Beati Johannis Baptistæ natalitia præveniuntur*. Et in Codice Gelasiano a Cl. V. Georgio memorato in notationibus in Adonem habetur Missa in Vigilia Apostolorum Petri, & Pauli, cujus in secunda oratione ad *secreta* jejunium in hac Apostolorum Vigilia aperte designatur. Etiam in eo, quem paulo ante promisimus, libello nostro jejunia cum vigiliis ubique conjunguntur. Sed quid refert ad id demonstrandum, nova perquirere momenta, quum peramplissimum hujusce rei testimonium nobis exhibeat Nicolaus I. Pontifex Maximus in Respons. ad Bulgaros de jejunio, ubi commemorans ante dierum festorum celebritatem stata jejunia, eadem a Sacra Romana Ecclesia antiquitus suscepta fuisse testatur. Porro hæc jejunia utpote solemnia non in horam diei nonam post finem *stationis*, ut jejunium quartæ, & sextæ feriæ, quod proinde ab Herman. lib. III. simil. 5. *statio* dicitur; sed in Vesperas videlicet in primam Vigiliam noctis producebantur, quemadmodum præter alios perspicue tradit Paulinus, qui in Natali septimo pag. 562. edit. Veronen. hac de re sic canit:

Nostris eum morem, ut jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris;

Quis-

Quisque suas remeare domos: tunc ergo solutis.
Cœtibus a templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumpta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & Psalmis producere noctem.

Non me quidem præterit, qui contra objicitur Concilii Salingest. Can. II. qui ait: *In Decembri proximo Sabbatho ante Vigiliam Nativitatis celebretur jejunium, quia si Vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam, & jejunium celebrare non convenit*. Sed nihil hunc sententiæ nostre obesse egregie approbat Thomassinus supra recitato loco num. 15. inquiens, Synodum illam nihil aliud hoc canone consulere contendisse, nisi quod Sabbathum quatuor temporum, & pervigilium Nativitatis Domini in unum haud occurrerent diem, quia propter illorum varia, ut vocant, officia non bene simul haberi possent. Ad sacros enim pertinent ordines Missa, & officium quæ in Sabbatho quatuor temporum aguntur, quæque in una eademque nocte Missæ, atque officio Natalitiæ pernoctationis procul dubio conjungi non patiuntur. Insuper adnotandum est sub jejunii nomine potius quatuor temporum, quam Vigiliæ jejunium a Concilio designari, eò quod jejunium quatuor temporum, eodem Thomassino teste, jejunium tantummodo dictum fuit, contra vero Vigiliarum jejunia, illis recensitis, satis superque indicabantur, quoniam vigiliæ omnes, vel pene omnes, ut verbis utar Innocentii III. Sum-

mi Pontificis *in observatione jejunii* celebrabantur, quæ jejunia, illis etiam sublatis, sub earum tamen nomine usque in hunc diem permansere. Ex dictis colligere est Gratianum hunc Canonem referentem (Decret. 76. cap. 3.) illum non optime assecutum fuisse, & proinde a veritate aberrasse, cum de Vigiliis generatim pronuntiavit: *Vigilia simul & jejunium celebrari non debent.* At priusquam sermo noster a nocturnis discedat Vigiliis, temperare non possumus, quin hic saltem obiter illas memoremus lucernas immortali profecto laude dignissimas, quas ad fratrum multam in noctem labores producentium Vigilias stupendo artificio Cassiodorus concinnavit: *Paravimus etiam*, inquit ille, lib. div. lit. Cap. XXX., *nocturnis vigiliis mecanicas lucernas conservatrices illuminantium flammarum ipsas sibi nutrientes incendium, quæ, humano ministerio cessante, prolixe custodiant uberrimi luminis abundantissimam claritatem; ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur.*

De

De D. N. J. C. ac Deiparæ Virginis diebus Festis.

CAPUT VI.

DE Festis diebus, quos nocturnæ pernoctationes, ut hucusque adnotavimus, antecedebant, deque illorum celebritatis Origine modo foret nobis agendum, si hacce in re Eminentissimus Lambertinus, nunc Benedictus XIV. nostram, atque aliorum diligentiam, studiumque haud occupasset. Tanta enim Vir ille & dignitate, & doctrina Summus, tamque incredibili eruditionis copia hoc in peregregiis libris de Fest. D. N. J. C. & Deiparæ Virginis illustravit argumentum, ut purpuræ pannum assueret, qui quidpiam illi addere niteretur. Nos igitur in id curam solummodo conferre conabimur, ut varia exquiramus tempora, quæ hisce insignibus celebritatibus recolendis in pervetustis Martyrologiis, ac Calendariis addicebantur. Primus omnium nobis occurrit solemnissimus Nativitatis Dominicæ dies, quem pervetusta Calendaria, ac Martyrologia, ut Bucherianum, Hieronymiana, Bedæ, Rabani Mauri, Usuardi, atque Adonis ad VIII. Kal. Januarii scilicet in diem 25. Decembris conferunt. Hisce codicibus tum Græci, tum Latini Patres mirifice consentiunt. Sunt præsertim adeundi Chrysostomus in Serm. 31., & Augustinus in Psalm. 132., & de Trinit. lib. IV. Cap. V. Ubi speciatim occidentali in Ecclesia usque *ab*

Exordio Dominicam Nativitatem VIII. Kal. Jan. celebrandi extitisse morem apertis verbis pronunciant.

Quum vero a Dominicæ Nativitatis fere omnia vetusta Martyrologia, & Calendaria initium ducant, hinc factum est, ut quamplures hanc vetustiorem, antiquioremque Ecclesiastici anni auspicandi Epocham fuisse contendant. His adstipulatur Florentinus, a quo Exercit. De Vetust. ac Multipl. Eccles. Epoch. multa ad id comprobandum argumenta cumulantur. At omnibus notum, compertumque est quammaxime docti Viri in Christianæ Epochæ, quos annos Christi vocant, adsignandis limitibus disceptarint. Pro sua tuenda sententia omnes in medium vetusta proferunt testimonia, quibus vel a Paschate, vel a Dominica Incarnatione, vel a Christi Domini prædicatione, vel ab Januarii Calendis Ecclesiasticum annum antiquitus inchoatum demonstrare contendunt. Quamquam alii existiment antiquos Christianos initia annorum sumsisse vel a Fastis Consulum, vel a suscepto cuiusque (*a*) Principis Imperio. Res fortassis adhuc in obscuro latet. Hic dumtaxat animadvertam, veritati non omnino Florentinium adhærere, quando in Exercitatione, de Natal. Dom. celebr. Sacrorum Rituum

(*a*) Pearsonius in Præfatione ad Annal. Cyprian. num. 5. ait vetustissimos Scriptores Christianos fuisse solitos numerare annos per Imperatores, atque inter hos memorat Theophilum, Clementem Alexandrinum, ac Tertullianum, subjicitque posteriori tantum ævo numerum annorum e Fastis Consularibus fuisse deductum. Huic Pearsonii sententiæ assentitur Philippus a Turre doctissimus Adriensis Episcopus Dissert. Apologet. Ad Nummum Anniæ Faustinæ pag. 84.

tuum libros anni initium ab hac die auspicari monet, quum revera non omnibus hujusmodi libris hæc dies auspicia præbeat. Sacramentarium Gelasianum, ut adnotat Georgius in Adonem, & Gregorianum Reginæ Svecorum in Codice Vaticano num. 337. *a Vigilia Natalis Domini in nocte* exordiuntur: *A Vigilia Natalis Domini ad Nonam*, hoc est a Vespere ante Natalem Domini incipit Liber *Gradalis* Ecclesiæ S. Johannis Modœtiensis in Insubribus apud Thomasium de antiquis libris Missarum Part. I. pag. 258.: & Capitulare sæculi noni in codice Reginæ Svecorum num. 4. initium sumit *a Vigilia Natalis Domini hore None*. Apud Græcos vero anniversarius Sanctorum Circulus a Calendis Septembris auspicabatur, sicuti patet ex Genebrardo, atque ex Basilii Menologio, in quo sic legitur: *Est igitur dies primus Septembris anni totius principium, & finis*. Hunc annos supputandi morem adservavit quoque D. Epiphanius in opere, quod *Ancoratum*, seu de fide liber inscribitur. Sed hactenus hæc de Dominicæ Nativitatis vetustis in Calendariis adnotatione.

Octavo Idus Januarii celeberrimum Epiphaniæ festum omnia recensent latina Martyrologia. Verum Sancti Hieronymi ævo quinta Januarii die illud celebratum fuisse nonnullis id suadere videtur, quod ipsemet Hieronymus cap. 1. Commentar. in Ezechielem ad verba illa. *In quinto mensis* &c. adnotavit: *Quintam autem*, inquit ille, *adiungit, ut significet Baptisma, in quo aperti sunt Christo Cæli, & Epiphaniorum dies hucusque*

venerabilis est, non ut quidam putant Natalis in carne &c. Hoc de negotio quidquid sit, certum est a primis usque Ecclesiæ sæculis Epiphaniæ Festum triplici decoratum mysterio Octavo Idus Januarii maxima fuisse solemnitate celebratum. Tria hæc Mysteria a Paulino memorantur in Natali IX. de Sancto Felice, ubi de Epiphania agit, eamque inter maximas solemnitates recenset: præterea in Lectionario Luxoviensi, quod ante annos mille scriptum fuisse Mabillonius testatur, habetur Evangelium pro Festo Epiphaniæ ex tribus Evangelistis contextum, in quo & Christi Baptismus, & nuptiæ factæ in Cana Galileæ describuntur, atque in Missa Vigiliarum ejusdem Solemnitatis habetur Evangelium de adoratione Magorum, ex quo manifestum fit tria supradicta Mysteria in ea solemnitate antiquissime celebrari solita fuisse. Antiquiores Græci ipso die Epiphaniarum, idest sexta Januarii die, & Epiphaniam, & Natalem Domini celebrabant, quemadmodum ex Epiphanio, Joanne Crysostomo, Cassiano, aliisque adprobant Thomassinus de Fest. lib. II. cap. 6; ac Papebrochius in Ephemerid. Græco-Mosch. Tantaque erat hujusce Festi celebritas, ut Julianus ipse Apostata, teste Ammiano Marcel. lib. XXI., illi interesse solitus fuerit, & nonnulli ab hac solemni die Ecclesiastici anni initium traducerent. In Galliis præsertim hanc anni computandi rationem viguisse liquet tum ex quarto Aurelianensi Concilio circa annum Domini 545. habito, in quo sancitur, ut Pascha quotannis in Epiphania populis in-

Indiceretur, tum ex Concilio Antisiodorensi, quo anno DLXXVIII. statutum fuit canone II. : *ut omnes Presbyteri ante Epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuntient, & in ipsa Epiphania ad populum indicent*. Id quoque obtinuisse nostra in Aquilejensi Ecclesia patebit ex Libello sæpius memorato, quem infra dabimus. Præterea hunc morem, & Aquilejensis, & permultæ aliæ Occidentales Ecclesiæ adhuc retinent.

De cæteris vero solemnibus Festis, ut vocant *Mobilibus*, non loquar, quum illis nunquam, vel raro fuerit in Calendariis fixa, ac permanens sedes, sed juxta varios Ecclesiasticos Cyclos modo citius, modo tardius in illis adnotarentur. Attamen haud ignoro a quibusdam veterrimis Martirologiis, ut Hieronymiano &c. solemnissimum Resurrectionis Dominicæ diem, veluti proprio loco VI. Calend. Aprilis memorari; hisque ad unum assentiri omnes illos veteres Patres, qui æque ac ipsa Martyrologia diei octavo Cal. Aprilis Dominicam Passionis affigebant. A quorum sententia Beda non abest, immo illam disertis adfirmat verbis lib. de ratione temp. cap. XLV. *Quod Octavo Kal. Aprilis Crucifixus VI. Kal. earumdem diem resurrexerit multorum latinorum Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum*. Celebria sunt, atque omnibus satis nota, quæ fuerint in Ecclesia dissidia de die, quo Pascha celebraretur, constituendo. Alius enim Orientali, alius Occidentali in Ecclesia obtinuit mos, & ipsa in Occidentali Ecclesia non semper ubi-

que una fuit, ac conſtans conſuetudo. Sed non eſt in animo, neque inſtituti noſtri ratio patitur plura de hac inſigni controverſia proferre, quum ad eam explanandam, perpendendamque Bucherius, Petavius, aliique primi ſubſellii Viri ampla volumina conſcripſerint, quæ adeat qui plura iſta de re expetit.

Deiparæ Virgini Sacrorum dierum tum in vetuſtis, tum in novis Calendariis agmen ducit Feſtum Purificationis, quod Baronius (*a*) ex Nicephoro Callixti in Eccleſiam invectum putat, imperante Juſtiniano. Sed quum Nicephorus id a Juſtiniano inſtitutum dicat, ut celebraretur *toto orbe terrarum* ἁπανταχοῦ, ſuſpicari poteſt, ut Thomaſſinus recte animadvertit de Die. Feſt. lib. II. Cap. II. n. 1. antea in ſingularibus quibuſdam locis iſtam celebratam fuiſſe. Hac de Solemnitate in Gregorianis Sacramentariis mentio habetur, atque inter Celebritates a Capitularibus Caroli M. recenſitas legitur etiam *Purificatio* Sanctæ Mariæ. Latina Martyrologia omnia IV. Non. Februarii illam recolunt. At minime vero eadem ab omnibus memoratur phraſi, cum ab aliquibus, ut ab Hieronymianis apud Florentinium, a Martyrologio Reginæ Svecorum, atque a Fuldenſi *Purificatio S. Mariæ*, ab aliis vero modo *Solemnitas S. Mariæ, quando Dominum in templo præſentavit*, ut a Gellonenſi, modo Hypopante Domini, ut a Beda, a Romano parvo, aliiſque appellatur. Hac in ſolemnitate adnotanda non ſibi conſtant Græcorum Menologia: illud enim, quod

(*a*) In Notat. ad Mart. Rom.

quod Basilii nomine adornatur hac die cum Latinis illam recenset, secus Canisii Menologium ad Kal. Feb. illam reponit. A Græcis hoc Festum ὑπαπαντὴ, seu obviatio dicitur: ἀπαντᾶν, ex quo ὑπαπαντὴ deducitur, obviam ire, vel occurrere significat, quo verbo utitur, ut ante nos adnotavit Baronius in notation. ad hunc diem, Ecclesia, & rem quoque ipsam satis explicat in *Invitatorio* Nocturni Officii, cum ait: *Ecce venit ad Templum sanctum suum Dominator Dominus: gaude & lætare Sion occurrens Deo tuo.*

Sequitur Adnuntiatio Dominica jam inde a vetustissimis temporibus semper longe celeberrima: Octavo Kal. April. tam Græci, quam Latini hoc de Festo agunt, quemadmodum ex omnibus Martyrologiis, atque Menologiis comperimus. Hic tamen prætereundum non est Hispanos præsertim die 18. Decembris illud aliquando celebrasse, sicuti constat ex Concilio Toletano X. A. D. 656. habito, ubi Can. I. Annuntiationis celebritas ante octavum diem, quo natus est Dominus, idest ad xv. Kal. Janu. constituta (*a*) fuit. At si Rodulpho Glabero fidem habemus ab Episcopis etiam Galliarum, atque Italiæ de transferenda Dominicæ Adnuntiationis celebritate in diem 18. Decembris A. D. 1000. actum fuit. Ve-

(*a*) Quæ Annuntiationis Festum ad diem 18. Decembris transferendi causa fuerit, ipsum Toletanum Concilium explicat, ut scilicet Octavam haberet, quemadmodum Christi Nativitas habet: *Ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita Festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas.* Idem Concilium aliis in Ecclesiis jam idem factum narrat.

Verum enim vero Romana in Ecclesia, ut ex Sacramentariis Gelasiano, ac Gregoriano, aliisque Liturgicis libris elicimus, semper xxv. celebrata fuit; & licet in Quadragesima occurrisset, tamen haud solvebatur jejunium, sicut disertis verbis demonstrat Humbertus Silvæ Candidæ Episcopus adversus Nicetam: *Hec jejunia resolvimus*, inquit ille, *in celebratione missæ: aut in aliquo Natalitio Martyrum, sed nec in Annuntiatione Mariæ Virginis*. Præterea Annuntiationi Dominicæ Christi Crucifixionem adiungere Martyrologia fere omnia solent: *Annuntiatio Incarnationis Dominicæ, & Hierosolyma Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*; habet Rabanus. Notkerus vero: *Apud civitatem Galileæ Nazaret Annuntiatio Incarnationis Dominicæ. Extra Portam Hierosolymorum Dominus noster Jesus Christus crucifixus, occulta Prophetarum magna ex parte revelavit*. His præter alios assentitur etiam Augustinus, qui lib. IV. de Trinit. Cap. V. hacce de re sic eloquitur: *Sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, Octavo Calendas Aprilis conceptus traditur quo & passus. Natus autem traditur octavo Calendas Januarias*.

Ad celebritatem quod attinet Assumptionis Deiparæ Virginis a Martyrologiis, atque Calendariis neque una die, neque eadem phrasi semper memoratur. In quibusdam legitur *Assumptio*, & *Depositio*, in aliis vero *Dormitio*, & *Pausatio* habetur. Hac in ultima voce nempe *Pausatio* perpendenda non immoror, quum Johan-

hannes Fronto in notis ad Calendarium, Cangius in Glossario, Georgius in Adonem, aliique id jam egregie præstiterint. Hieronymiana Apographa die XVIII. Januarii, & XV. Augusti hanc recenset solemnitatem. Sic Lucense Florentinii, quod ad diem XVIII. Januarii habet: *Depositio Sanctæ ac Gloriosæ Beatæ Mariæ Matris Domini N. J. C.* ad diem vero XV. Augusti *Assumptio Sanctæ Mariæ præfert*. Apographum Epternacense silet ad XV. Augusti. Die vero XVIII. Jan. habet: *Adsumptio Sanctæ Mariæ*. Apographum Hieronymianum Dacherii, Beda genuinus, Martyrologium Gellonense Reginæ Svecorum, Fuldense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, aliaque quamplura ad diem XV. Augusti duntaxat illam commemorant. Cl. V. Mabillonius, lib III. de Liturg. Gallic. pag. 118., ex Gregorio Turronensi, lib. I. de Glor. Martyr. Cap. IX., hunc festum diem mense Januario ante Carolum Magnum fuisse in Gallia celebratum, illumque in mensem Augustum solummodo invectum existimat, cum a Gallis fuit Gregorianus ordo susceptus, quod elicitur ex Capitularibus Caroli M. lib. I. Cap. CLVIII., atque ex annalibus Bertinianis ad annum 862. Proinde de Assumptione Beatæ Mariæ agere censet idem Mabillonius, & Sacramentarium Gallicanum ab illo editum Mus. Ital. Tom. I. Par. II. pag. 240., in quo post missam in Cathedra Sancti Petri legitur in Missa S. Mariæ, & Lectionarium Luxoviense ab illo quoque vulgatum, ubi ante Festum Cathedræ S. Petri habetur: *Legenda in Fe-*

sti-

ſtivitate S. Mariæ. Quoniam vero de Liturgicis Libris hic mentio occurrit, obiter adnotare liceat tam a Gelaſiano Sacramentario, quam a Gregoriano Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ, ad diem xv. Auguſti hanc recenſeri ſolemnitatem. Græci vero eadem die xv. Auguſti *Dormitionem*, *Translationem* ſeu *Aſſumptionem* B. Mariæ Virginis celebrant, ut ex illorum Menologiis, & Meneis colligitur. Inſuper complura de *Aſſumptione*, & *Dormitione* Beatiſſimæ Virginis Baronius (*a*) Gretſerus, Florentinius, (*b*) Fronto, (*c*) Lambecius, in medium proferunt. Neque prætereundæ videntur, quæ inter Catholicas Metropolitanæ Eccleſiæ Pariſienſis concertationes anno 1660. excitatæ ſunt ob Uſuardi textum; num videlicet in eodem *Dormitio*, aut *Aſſumptio* Sanctiſſimæ Virginis legendum foret: hanc poſtremam tuentur lectionem Nicolaus (*d*) Bilialdus, & Jacobus (*e*) Gaudinus; pro illa vero ſtat Claudius Jolius, quibus arbitrum, & Judicem ſe ſtatuere voluit Jo: Launojus edito libro Laudun. an. 1670. ſic inſcripto: *Judicium de controverſia ſuper ſcribendo Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio exorta*. Claudio Jolio Launojanum (*f*) judicium fave-

(*a*) In Notation. ad Mar. Rom. xv.

(*b*) In Not. ad Marc. a ſe editum pag. 754. atque in exercitatione V. pag. 263.

(*c*) In Not. ad ſuum Cal. pag. 263.

(*d*) Nicolai Ladvocati Bilialdi Pariſienſis Canonici Operi titulus eſt: *Vindiciæ Parthenicæ &c.*


(*e*) Jacobi Gaudini Canonici Pariſienſis hanc in rem liber titulum præfert: *Aſſumptio Mariæ Virginis vindicata*.

(*f*) Hoc judicium iterum vulgatum fuit Pariſiis ann. 1671. in quod bis vindicias pro Aſſumptione Corporis B. Virginis edidit & Bilialdus, habetur etiam Tom. I. Oper. Launo. Coloniæ Allobrogum an. 1731. edit. pag. 44. & ſeq. ibique pag. 108. B. Carpentarii, ſive, ut creditur, Jacobi Boileau, vel Bolei ſuper eadem controverſia Epiſtola legitur.

veat. Abbas etiam de *Choisy* in Historia sua Ecclesiastica assumptionem corporis B. Virginis fundamentum in antiquitate non habere pronuntiat, sed a doctissimis Diarii Trevoltiensis Auctoribus ad an. 1703. art. 180. jure ac merito carpitur.

Magnam quoque antiquitatem præsefert Nativitatis Deiparæ Festum. Pervetusta latina Martyrologia, ut Hieronymiana Bedæ, Gellonense, Rabani Mauri, Adonis, aliaque, illud recensent ad diem VIII. Septembris, quibus Græca etiam Hagiologia assentiuntur. Animadvertendum tamen est Apographum Hieronymianum Epternacense hanc reponere celebritatem ad diem XVI. Augusti, quod conjecturis se non assequi fatetur Sollerius in notis ad diem VIII. Septembris. In vita Sergii primi Pontificis Maximi ab Anastasio, vel ab alio scriptore concinnata, circa A. D. 690. ab eodem Pontifice Litanias constitutas fuisse legitur *diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genetricis.* Hinc Pagius Junior in vita ejusdem Pontificis num. XXV., & in Vita Innocentii IV. num. XVIII. *Nativitatis Beatæ Virginis* celebritatem septimo Christi sæculo agi consuevisse optime arbitratur. Insuper *Statuta* S. Bonifacii octavo sæculo nondum adulto Moguntini Episcopi Spicil. Tom. IX. pag. 67. evulgata, dum *Assumptionem Sanctæ Mariæ, & Nativitatem ejusdem* inter Festivitatum numerum ab eodem celeberrimo Antistite additas fuisse referunt, certa nobis produnt argumenta, ut ante sæculum Ecclesiæ nonum hujusce

ſce Feſti celebritatem in Germania quoque obtinuiſſe exiſtimemus. Ex quibus rebus omnibus perſpicue conſtat doctiſſimum Thomaſſinum, (a) qui ad ſæculum VIII. hujuſce Feſti inſtitutionem rejicere videtur, veritati non omnino adhæſiſſe, atque ab illa Baſnagium longe aberraſſe, quum ſolemnibus Nativitatis, atque Aſſumptionis Mariæ celebritatibus duntaxat ſæculo decimo auſpicia præbeat. Sed hactenus hæc de D. N. J. C. atque Mariæ Virginis Feſtis diebus.



De

(a) Lib. 2. Cap. 20.

De reliquis diebus Festis, ac de Octavis.

CAPUT VII.

QUum vero in Martyrologiis, ac Calendariis non modo Domini nostri Jesu Christi, atque Deiparæ Virginis solemnia, verum etiam Apostolorum, aliorumque Sanctorum celebritates omnino adsignentur, proinde de his agere hoc loco me res ipsa admonebat, sed jam actum agerem, si hanc in rem persequendam studium, curamque conferrem. Circumferuntur enim per manus hominum doctissimæ Baronii in Romanum Martyrologium, Florentinii in Hieronymianum Lucense, Sollerii in Usuardum, Georgii in Adonem, Frontonis in Calendarium a se editum, aliorumque insignium virorum in alia Martyrologia, atque Calendaria lucubrationes, quibus Sanctorum Festi dies, illorumque anniversariæ recordationes ita egregie illustrantur, ut nihil huic rei addi posse videatur. Illinc ergo assumenda erunt, atque comparanda; quæ de Sanctorum Festis nunc consulto prætermittimus. Hic solummodo nonnulla ex illis delibabimus, ut quid Natalis, quidve Confessor sibi velint breviter explanemus, quum hæ duo voces Calendaria, vel Martyrologia lustrantibus sæpe numero occurrant. Dies, quo Sancti ex hac misera lachrymarum valle ad cælestia gaudia transibant, antiquo Ecclesiæ more *Natalis* appellabatur. *Natalem*, ait Augustinus in Natali Cypriani Mart.

ho-

hodie sicut nostis celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, idest Natales, ut Natales vocet pretiosas Martyrum mortes. Et paulo post: *Quid est hoc Fratres? Quando natus sit ignoramus, & quia hodie passus est, Natalem ejus hodie celebramus.* Hæc solemnia a Tertulliano lib. de Corona Militis num. 36. *Natalitia*, vocantur: unde Nicolaus Pontifex Summus in Epistola ad Consulta Bulgarorum cap. V. ait: *Consuetudinem tenet Ecclesia, ut solemnes Beatorum Martyrum, vel Confessorum Christi dies, quibus ex hoc Mundo ad regionem migraverunt vivorum, nuncupentur Natales: sed & eorum solemnia non funebria tanquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium Natalitia volutentur.* Et hæc Natalitia, sive anniversarias Martyrum Commemorationes *Eucharisticas*, hoc est gratulatorias, & lætitiæ testes fuisse asserit Cl. Vir Ludovicus Antonius Muratorius in suo Opere de Paradiso Cap. x. pag. 87. Hacce de re confer quoque, si lubet, Albinum Flaccum de Div. Offic. cap. de Sexta Feria, ac Durandum lib. VII. Cap. I. num. 18. 42. & 43. Addas & velim quæ Baronius in notationibus ad Martyr. III. Nonas Januarii profert. At notum profecto compertumque est, *Natalis* nomen aliis quoque fuisse celebritatibus attributum. Dies enim, quo quis ad Episcopalem Cathedram conscenderat, illius appellabatur Natalis: Qui *Natalis Pontificis* a S. Petro Chrysologo, & *Natalitius dies* a Sancto Leone Magno nuncupatur. Id Mabillonius in notis ad Legendam LXXI. *In Natale Episcopi*, Lectionarii Luxoviensis a se vulgati apertis verbis adfirmat: Natale Episcopi in-

inquit, *est anniversarius ejus consecrationis dies*. Gregorius, Turonensis Episcopus hoc sensu natale Episcopatus Sancti Martini appellat in lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 6. *Sciatis quia post hoc triduum natalis Episcopatus ejus esse consueverat*. Hujusce rei est quoque locuples testis D. Ambrosius lib. VIII. Epist. 60. ad Felicem. Romano etiam in Calendario a Frontone edito legitur *in Natali Papæ*, quem diem olim Romæ solemnem fuisse ex (*a*) Anastasio colligimus. Præterea alicujus Sancti *Natalis* etiam appellabatur dies, quo fuerat Deo templum aliquod sub illius nomine dedicatum. *Natalis Nicomedis Martyris* pro Dedicatione Ecclesiæ Sancti Nicomedis habent Beda genuinus, Martyrologium Reginæ Svecorum, ac Ottobonianum. *Natalis Sanctæ Mariæ ad Martyres* duo Bedæ Apographa optimæ notæ in Codicibus Palat. Vat. 833. 834. Ado, Usuardus, Notkerus, aliique exhibent, quum cætera Martyrologia *Dedicatio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres* præseferant. Habetur quoque in vetustissimo Sacramentario a Cl. Viro Josepho Blanchinio vulgato pro Dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli *Natale Basilicæ Angeli in Salaria*. (*b*) Tandem Natalis nomen pro celebritate generatim ali-

E quan-

(*a*) Anastasius hacce de re in vita Adriani I. sic habet: *Constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accendatur, idest in Nativitate Domini; in Pascha; in Natali Apostolorum & in Natali Pontificis.*

(*b*) Liceat hic adnotare Romanos Ethnicos *Natalis* nomine in eodem sensu item usos fuisse, ut perspicue colligitur ex Ciceronis Epist. 1. lib. 4. ad Atticum, ubi *Natalis Salutis* appellatur dies, quo templum fuerat Saluti inscriptum.

quando etiam sumebatur. Solemnitas Cathedræ S. Petri exempli gratia ab antiquo scriptore sub Augustini nomine non una vice sed pluries *Natalis Cathedræ* dicitur. Sed hæc sufficiant de Natalis voce. Quod vero ad nomen Confessoris spectat, sciendum est, ut observat Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 2. Januarii, *diversa admodum significatione a præsentis temporis usu hanc vocem*, (idest Confessoris) *a majoribus usurpatam. Illi enim neminem eo nomine appellabant, nisi eum, qui Christi fidem interpellatus coram fidei hostibus confessus esset. Unde non desunt qui Martyris, & Confessoris nomen olim synonymum fuisse contendant*, ait Petrus Galesinius in notis ad suum Martyrologium 17. Kal. Febr. ad S. Felicem Confessorem, cui assentitur Franciscus Amatus Pouget in suis Catholicis institutionibus part. 2. lect. 4. cap. 2. §. 22., ubi sic habet: *Confessores autem dicebantur propter gloriosam, & publicam nominis Christi confessionem: Martyres quoque appellabantur propter exhibitum veritati testimonium*. Alii enim, ut ex Cypriano, Tertulliano, Gregorio Nazianzeno, aliisque Patribus perspicue constat, proprie *Confessores*, alii *Professores*, alii *Extorres*, alii *Designati*, alii *Coronati* Martyres appellabantur, de quibus adeundus est doctissimus Cardinalis Lambertinus, qui in insigni Opere de Servorum Dei Beatif. Can. lib. I. Cap. II. pag. 13. & seq. hacce de re eruditissime de more edisserit. Quocirca etsi, debacchantibus persecutionum procellis, illi strictiori vocabulo Confessores dicti fuere,

re, qui ob Christi nomen damnum aliquod, vel ipsam mortem perpessi fuissent, tunc tamen quum in Ecclesia pacis refulsit lumen, illos, qui pietate alios præstarent, Confessores appellandi sensim obtinuit mos, adeo ut qui extra Martyrii palmam sanctitate pollerent in Martyrologiis, Calendariis, ac sacris Dyptichis sub Confessoris titulo adsignarentur. Hanc Confessoris significationem septimo duntaxat vel octavo Ecclesiæ sæculo emersisse nonnulli contendunt; secus Florentinius Admonit. IX. pronuntiat; Quod pervetusta Calendaria, ut Frontonianum, Carthaginiense a Mabillonio editum, aliaque antiquiorem illam esse evincunt. Ex Gregorio Turonensi, qui librum de gloria Confessorum ab altero de gloria Martyrum sejunctum scripsit, atque ex Sacramentario Menardi nova elicit ad id comprobandum Florentinius momenta supra memorato loco, quem conferat, qui hacce de re plura desiderat. Conferat enim quæ de antiquissimo cultu tam in Orientali, quam Occidentali in Ecclesia Confessoribus præstito profert Mabillonius Præfat. in Sæculum Quintum Benedic. pag. 442. num. XCVII. *Etsi Confessores non senserint gladium*, ait Canon Synodi Atrebatensis apud eumdem Mabillonium Præfat. secul. Bene. pag. 443. num. XCV. contra quosdam Hæreticos asserentes solis Apostolis, & Martyribus venerationem ab Ecclesia esse impendendam, *tamen per vitæ meritum Deo digno martyrio non privantur: quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur & ipsi gloria Martyrum*

non curent, quia & voto, & virtute & potuerunt esse Martyres, & voluerunt.

Solemnes quasdam celebritates Octavarum additione illustrandi ab antiquioribus usque saeculis sacra fuit Catholicae Romanae Ecclesiae consuetudo, ut ex pluribus pervetustis Calendariis, ac liturgicis libris liquido constat. Non immoror mysterium pervestigare, ac rationem octavum celebrandi diem, quum Amalarius, Albinus Flaccus, Durandus, aliique, qui de Divinis scripsere officiis hanc Spartam satis superque exornarint. Harum originem ex antiquis Judaicis ritibus promanasse animadvertit Cardinalis Baronius ad 2. Janu. in notis Celeberrimi, atque Sanctissimi, ut ex Levit. cap. XXIII. v. 35. colligimus, apud Hebraeos octavi solemniorum celebritatum habebantur dies, qui, etiam a S. Johanne Cap. VII. v. 31. *dies magnae festivitatis* appellantur. Hi vero in illorum Calendariis praesertim post celebriora Paschatis atque Tabernaculorum Festa passim adnotati apparent. Ex Hebraeis igitur ritibus, sicuti quaedam alia, quemadmodum S. Leo, ut alibi adnotavimus, Serm. VII. de jejunio septimi mensis testatur, hunc quoque morem est Dei Ecclesia mutuata. Rarae admodum in veterrimis Martyrologiis, atque Calendariis Octavae invisuntur. Nullae in Martyrologio Hieronymiano Florentinii, paucae in Calendariis Hieronymiano, Lucensi, Bucheriano, Frontoniano, ac Carthaginensi Mabilloniano habentur. Celebris in veteribus Hagiologiis est Octava Domini, quae a Beda, Romano parvo, Ado-

none; Usuardo, atque Notkero Kal. Janu. recolitur. *In Octabas*, pro Octava, seu Octavis Domini præferunt Sacramentarium Gelasianum, & Gregorianum Reginæ Svecorum num. 337. Sed celebriores sunt habitæ Paschales Octavæ quæ *Clausum Pascha* in Lectionario Luxoviensi, itemque in Missali Gothico-Gallicano a Mabillonio lib. II. III. de Liturgia Gallicana editis, atque a Divo Augustino *Octavæ* dicuntur *Infantium*. Duos de die *Octavarum*, seu de *Octavis Infantium* tractatus notat Possidius in Indiculo c. 8., & 10. Hos Cardinalis Baronius, ut adnotant eruditi Benedictini, quibus splendidissimam Augustini editionem debemus, perperam percensuit ad diem octavam Festi SS. Innocentium spectasse. Sed in hac re summum virum a veritate aliquantulum abscessisse fateri oportet. Infantes enim dicebantur non modo puelli, sed etiam ætate adulti, qui proxime sacro erant regenerati lavacro, ut Augustini præsertim auctoritate fusius ostendimus in quadam nostra Epistola, quam in hujus Operis Appendice dabimus. Ad hos haud dubie respexit ipsemet Augustinus in Epist. LV. num. 35. ita scribens: *tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentiis sepelierit*. Inter Sanctorum vero Octavas nihil antiquius Octava SS. Apostolorum Petri, & Pauli, præsertim Romana in Ecclesia haberi putamus. Illius enim meminere Calendarium Frontonianum, ac cætera recentiora Martyrologia, insuper & Sacramentarium Gela-

ſianum, ac omnia Gregoriana, atque hac de Octava S. Leo Magnus ſermonem habuit. Sed non vacat ſingulas hic recenſere Octavas, quum ſummi viri id jam eruditiſſime præſtiterint.



De

De Litaniis.

CAPUT VIII.

QUum in aliquibus pervetustis Calendariis Litaniæ in cujusque mensis initio, in Martyrologiis vero multo sæpius indictæ cernantur, instituti nostri ratio nos progredi haud patitur, quin prius nonnulla de eisdem in medium proferamus. Et ut a nomine exordiamur: *Litaniæ*, ut ait Sanctus Isidorus lib. VI. Originum cap. XIX. *a græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur Rogationes. -- propter rogandum Dominum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus.* Etiam Nicolaus Serarius Litanieutic. lib Cap. II. observat, *Litania* vocem esse, quæ precationem, & quidem seriam, cordatamque significat, quare apud Homerum λιτανεύοντες, qui precantur, genuaque (ut precantum mos erat) amplectuntur; ut ipsum etiam λιτανεύω pro γουνάζομαι accipiatur.

Bene idem Serarius Cap. III. duo genera Litaniarum facit I. Liturgicum, cujus usus in Liturgiis Græcis ita appellatur Kyrie Eleison: alterum vero non liturgicum, quod videlicet extra Missæ Sacrificium habebatur. Addit hoc vel pro solo Kyrie accipi, ut apud S. Benedictum in leg. cap. IX., vel cum aliis etiam precibus adjunctis, *quia vero*, inquit, *in processionibus, olim valde hujusmodi preces usurpabantur; ideo ipsamet τῶν λιτανευόντων, & procedentium multitudo aliquando*

 lita-

litania vocatur. Litaniæ igitur, ſeu Rogationes, quodcunque genus precum, hymnos, pſalmos, & præſertim precationem, in qua per ſeriem invocantur Sancti, complectebantur. Haccе poſtrema ſignificatione modo ut plurimum Litaniæ accipiuntur. Quando iſtis uti Eccleſia cœperit, quiſve iſtarum fuerit auctor, adhuc fortaſſe incompertum eſt. Apoſtolicis Viris has eſſe adſcribendas cenſet Cardinalis Bona Divinæ Pſalmodiæ Cap. XIV. Art. IV. illique Eminentiſſimus Lambertinus De Servorum &c. Lib. XVIII. Part. II. Cap. XX. aſſentitur. In dubium revera eſt Litaniarum uſum in Eccleſia veterrimum eſſe. Ad Conſtantini tempora Rupertus Abbas lib. IX. de Divinis Officiis cap. V. illum refert, cui favens Florentinius Admonit. VIII. Baronio minime aſſentitur, qui, Decio Imperante, Litanias viguiſſe pronuntiat. At qui de Litaniarum antiquitate expetit plura, adeat eruditum librum Patris Sailli, qui *Litaniarum Theſaurus* inſcribitur, neque nuper memoratum Serarium prætereat, qui laud. Op. Cap. IV. hanc rem ſatis erudite perſequitur.

Eaſdem itaque, ut Baronii verbis utar, *ſive Litanias, ſive Proceſſiones dicere velimus, unuſquiſque Epiſcopus in ſuis Eccleſiis ſtudioſe agere conſuevit: unde de S. Honorato Epiſcopo Maſſilienſi hæc pro magna laude Gennadius* cap. 99. *Hic Litanias ad ſupplicandam Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit*. Litaniarum, quæ ſingulis fiebant annis, numerus non idem erat omnibus in Eccleſiis, quatuor vel quinque ſolemnes

Lita-

Litanias in Ravennate Ecclesia celebrari solitas ex S. Gregorio colligimus. Per singulos menses pro statu Ecclesiæ, & Principum incolumitate a Concilio Toletano XVIII. c. 6. atque in principio Quadragesimæ a Concilio Bracarensi II. c. 9. Litaniæ indicuntur. Concilium vero Turonense II. c. 17. Litanias in Kalendis Januarii *ad calcandam gentilium consuetudinem* institutas memorat. Hæ vero Litaniæ secabantur aliquando, ac distribuebantur in partes, qui ritus multis abhinc sæculis jam desiit. Quocirca modo trinæ, modo quinæ, modo septenæ Litaniæ habebantur. Cur sic appellarentur egregie nos edocet doctissimus Martenius (*a*): *Triplex*, ait ille, *hac die litania decantabatur, septena, quina, & trina, sic dictæ, quod primæ invocationes singulæ septies repeterentur, secundæ quinquies, ter tertiæ. Quonam vero ritu id fieret, ita explicat Ordinarium Ecclesiæ Laudunensis: Dum autem processio pervenerit in Chorum cantatur litania, quæ vocatur septena; & hanc cantant duo Sacerdotes, & duo Diaconi, & duo Subdiaconi, unus post alium; post ultimum respondet Chorus. Finita litania it Canonicorum processio ad fontes, & ibi cantatur Litania, & hæc Secunda, & Quina. Hanc cantant quatuor de prædictis similiter unus post alium, & Chorus ultimo. Tunc Episcopus fontes benedicit. Post benedictionem redit processio, cantore, & succentore iterum Litaniam cantantibus, & hæc trina, & tertia. Ex hoc loco apparet duas in Ecclesia Laudunensi olim ante benedictionem fon-*

(*a*) De antiq. Eccl. rit. lib. IV. cap. XXIV. num. 20. pag. 417.

fontis decantatas fuisse Litanias; tertiam ea completa. Idem de Messanensi Ecclesia nobis exhibet eruditus vir Johannes de Johanne de Divinis Siculorum Officiis Cap. xxix. pag. 264. his verbis: *Septena Litania, sic erat dicta, quod ejus invocationes singulæ septies repeterentur, scilicet a quinque Clericis singillatim, dehinc a dextro Choro, postea a sinistro. Quina quod repeteretur quinquies à tribus nempe Clericis, & utroque Choro singillatim; Terna vero quod triplici gauderet repetitione, nam ei cantandæ vacabant Archichori duo simul; respondente primum choro dextro, deinde sinistro. Ex his duæ priores stantibus omnibus ante Altare, tertia autem ordinata processione ad fontem recitabatur*. Liceat vulgati Ordinis Romani *monita*, quæ a Mabillonio (*a*) exscribuntur hic quoque proferre: *Stat Primicerius unus* (ita scribitur) *in dextro choro, & dicit cum ipso Kyrie Eleison; & respondet secundus cerius cum sinistro choro Kyrie Eleison usque ter. Hoc fiunt septem vices repetitæ: unde & septenæ dicuntur. Post hæc Christe audi nos usque septies, & sic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, sequuntur ut prædictum est, litaniæ quinæ, idest quinquies repetitæ*. A nonnullis septena nuncupari litania creditur, eo quod septem temporum spatia in ea cantanda intermiscerentur, cujus moris perspicuum præbent exemplum ex Ordin. Rom. xi. a Mabillonio edito Tom. II. Musei Italici pag. 146. & 147. depromptum: ubi sic legitur: *Exeuntes de Ecclesia redeant ad processionem per viam cantando antiphonas, & psal-*
mos

(*a*) In Ord. Rom. comment. Cap. XV. pag. 91.

mos & in statutis locis letanias, sicut mos est usque ad S. Petrum ---- Subdiaconus incipit quinqueformem letaniam eo ordine, quo prius , usque ad lectum ante Sanctum Marcum, ubi Dominus se pausat, sicut in primo. Deinde revertuntur in processione usque ad archum triumphalem Theodosii, Valentiniani & Gratiani Imperatorum , ubi incipit triformem letaniam, usque ad lectum in ponte Adriano. In Ambrosiano Ritu hæc intervalla in litaniis haud infrequentia fuisse perdiscimus tum ex Martenio de antiqu. Eccle. rit. lib IV. cap. XXVII. n. I. col. 514. Tom. III. Edit. Antverp. tum ex pervetusto libro, qui inscribitur: *Libro delle Litanie secondo l'ordine di S. Ambrosio per la Città di Milano.* Quum vero a septem diversis personarum generibus diversis pariter e locis prodeuntibus litaniæ aliquando decantarentur, hinc septenas easdem fuisse vocatas autumant permulti, & præsertim laudatus Serarius lib. II. de Processionibus cap. VII. n. 4. Hujusmodi fuerunt illæ, quas Gregorius Magnus Summus, ac Sanctissimus Pontifex lib. II. Epist. Indict. VI. Epist. II. (seu sermone tempore mortalitatis) his descripsit verbis : *Proinde, fratres charissimi , contrito corde, & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam juxta distributionem inferius designatam devota mente cum lacrymis veniamus ---- quatenus ad Sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala, quæ fecimus deploremus ---- Litania Clericorum exeat ab Ecclesia Beati Joannis Baptistæ; Litania Virorum ab Ecclesia*

Bea

Beati Martyris Marcelli; Litania fœminarum conjugatarum ab Ecclesia Beati primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Ecclesia Beati Martyris Vitalis. Litania pauperum, & infantium ab Ecclesia Beatæ Martyris Ceciliæ.

Verum quamquam plures, ut ex hactenus dictis constat, litaniæ in anni circulo agerentur, non omnes tamen eadem complebantur celebritate: ideoque exempli gratia Litania, quæ septimo Kalendas Maii indicitur ad discrimen *Minoris*, *Major* appellatur. Insignis, & celeberrima est semper habita hæc litania major: ab omnibus enim Martirologiis, atque Liturgicis libris, Gelasianum si excipias, memoratur: ac peculiari ritu Romæ præsertim celebrata fuit, unde Beda in Ephemeride illam *Romanam* vocat. De Litaniis majoribus multa erudite proferunt Baronius in notis ad Martyrologium, & Mabillonius in Lectionarium Luxoviense pag. 152. & seq., item in Sacramentarium Gallicanum pag. 334, quos consulant qui de his plura expetunt. Sunt quoque celebres Litaniæ, vel Rogationes, quas per tres dies ante Ascensionem Domini instituit, sive, ut vult Baronius, restituit, ac in meliorem formam redegit Sanctus Mamertus Viennensis Episcopus. De his Sidonius Apollinaris lib. v. Epist. xiv., Alcimus Avitus, Cæsarius Arelatensis homil. xxxiii. atque Gregorius Turonensis lib. II. cap. xxxiv. lib. ix. cap. vi. & de vita Patrum cap. iv. 8. iv. pertractant. Hac de re sunt etiam consulendi præter Baronium, Galesinium, Durandum, ac Maurolycum, Sirmondus in notis in

In nuper recitatam Sidonii Epiſtolam, Martenius de antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis divinis officiis cap. XXVII. pag. 513. & Mabillonius, qui in Liturgia Gallicana lib. II. pag. 152., & ſeq. quoties, & quo ritu fierent, obiter adnotat.

Antequam vero Litanias noſter deſerat ſermo opere pretium me facturum exiſtimo, ſi de Litaniis illis, quæ Beatæ Mariæ Virginis, vel Lauretanæ appellantur, quidpiam hic obiter innuam. Jo. Franciſcus Madriſius Congregationis Oratorii Utinenſis Presbyter, ac celebris memoriæ Vir in Opere, quod ſuper has erudite concinnavit, illarum originem ſibi incompertam eſſe ingenue fatetur. Idem quoque diſertis verbis adfirmat Cæſar Calinus Societatis Jeſu in Epiſtola eidem Madriſio inſcripta, atque in nuper memorato opere inſerta, ubi plura ſelecta eruditione referta ab illo peregregio viro proferuntur. Licet vero doctus Calinus harumce Litaniarum originem ſibi latere candide profiteatur, ulterius tamen, ut illam quoquo modo detegat, coniectura provehitur. Illius verba hic proferre juvat: Io inclino molto a credere, inquit ille, che ſino dal principio della Chieſa dopo invocata la Divina miſericordia co' Kyrie, e l'Auguſtiſſima Trinità, come or faciamo, s'invocaſſe Sancta Maria ora pro nobis: dappoi conforme nacquero l'Eresìe, da' fedeli ſi rinnovaſſe l'invocazione con eſpreſſioni oppoſte all'errore, che derogava a'pregi di Maria; come Sancta Dei Genitrix, Mater Chriſti &c. contro chi le negava la Divina Maternità;

co-

così Sancta Virgo Virginum, Mater purissima, castissima, inviolata &c. contro chi negava la di lei Virginità. Altre volte si aggiunsero titoli confacenti a' pubblici bisogni, od alle grazie ricevute; come in circostanza di guerra Turris Davidica, Turris Eburnea, Fœderis Arca: In circostanza di liberazione di nemici, e di altri guai: Causa nostræ Lætitiæ, in occasione di malattie, Salus Infirmorum; così dalle varietà degli affetti, delle circostanze, e de' bisogni si andassero accrescendo i titoli dell' invocazione. Sic ille conjecturas suas nobis ingeniose proponit. Hic quispiam fortasse quæret, quanam tempestate hæ ad Mariam supplicationes in unum confluxerint, quisnam earum fuerit auctor. Hoc solicitent alii: res enim difficile divinari potest, quum nobis monumenta suppetant nulla, quibus ista de re doceamur. Verum, si nobis aliquid conjectare in hoc negotio licet, quasdam in honorem Virginis Litanias sæculo septimo extitisse arbitramur. Cardinalis enim Baronius ad annum 638. Honorium Summum Pontificem statuisse, enarrat, *ut omni hebdomada Sabbati die exeat Litania*, &c., quæ cum die Sabbati Sanctissimæ Virgini sacro constituatur, hinc credere in illius quoque honorem eamdem fuisse peractam satis verosimile est. Si etiamtum quidem diem sabbati Virgini sacrum fuisse conjicere datur. Nihil quoque a verosimile distat hujusmodi haberi Litanias illas, quæ quibusdam Festivis diebus Virgini sacris anno 701. a Sergio Papa constitutæ fuerunt, teste Anastasio illius Pontificis vitæ, ut putatur, scri-

pto-

ptore. At nil mirum esse debet Sergium Papam octavo sæculo in honorem Virginis Litanias indixisse, quum eodem sæculo Summi Pontifices Gregorius, & Zaccarias illius decantare Officium parvum Monachis præceperint, quemadmodum in Hist. Ab. Cassinen. Eruditus Abbas D. Erasmus Gattula Petri Diaconi auctoritate suffultus nobis enarrat. Sed in hisce conjecturis diu versari nihil refert. Indubium ceteroqui est a primis usque Ecclesiæ exordiis. Beatissimam Virginem Mariam sacro, ac peculiari cultu, ut ex veterrimis Liturgiis constat, invocatam fuisse illis videlicet nominibus, *Sancta Maria ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix ora pro nobis*, quibus aliæ postea adiunctæ fuerunt invocationes, quæ illius dignitatem altissimam, singularem integritatem, ac alia prope Divina ornamenta, quibus a Deo Sanctissima Virgo aucta fuit, & condecorata, etiam atque etiam ostenderent, & declararent. Cur vero eædem fuerint Lauretanæ appellatæ indicare nititur supra laudatus Calinus, qui hac de illarum appellatione ita edisserit: Come poi alla Santa Casa di Loreto i Pellegrini da ogni nazione del Mondo sono sempre concorsi cantando ciascheduno le loro litanie, è molto verisimile, che per tal occasione pigliandosi da tutti i titoli onorevoli della Vergine si unissero in una serie, che abbracciata nella Santa Casa, e da' Pellegrini riportata alle loro patrie, si è abbracciata da tutta la Chiesa; onde poi abbia questa serie avuto il titolo di Litanie Lauretane. Hæc forsan plusæquo prolixius de Litaniis dicta sunto. Ad reliqua pergamus.

De

De diebus Ægyptiacis.

CAPUT IX.

DIes Ægyptiaci, qui pervetusta Calendaria evolventi sæpius occurrunt, hoc loco quodam modo nos admonent, ut in perquirendo quid innuant, quidve sibi velint ipsi, parumper immoremur. Quamquam igitur summus rerum omnium creator Deus candidos, & bonos cunctos finxisset dies, tamen vana hominum superstitione factum est, ut quidam dies mali haberentur, & atri, quibus quum nimium creduli homines sibi infortunia, infelicemque negotiis tunc susceptis exitum imminere somniassent, proinde ab itinere ineundo, a prælio committendo, a nuptiis contrahendis, a prædio emendo, a sectione venæ atque ab aliis alicujus momenti rebus sibi hisce diebus solicite cavebant. Ut dies autem istos ignoraret nemo, in publicis Fastis, seu Calendariis hi diligenter adnotabantur. Quod præsertim Ægyptiis in usu fuisse nullus inficiabitur, quum ab Ægypto, ut fertur, isthæc *dierum atrorum* ridenda observatio dimanarit. *Illud autem notandum*, ad rem nostram observat Durandus lib. VIII. cap. IV. *quod in quolibet mense sunt dies Ægyptiaci, idest ab Ægyptiis deprehensi: in Ægypto enim erant quidam Astrologi, qui quasdam Constellationes nocivas humanis actibus in illis diebus invenerunt, ideoque illas notas esse hominibus voluerunt.* Judæi e-

tiam

tiam ab Ægyptiis hacce de re fortaſſe edocti ſuis in Calendariis hos adcenſebant dies, præſertim vero menſibus *Tammus*, atque *Ab* plures, quam aliis menſibus hujuſmodi dies inſerebant, quod iis complura majoribus eorum infortunia, atque mala contigerant: quæ omnia ex Ebraicis Calendariis colligere eſt. Præterea ſuperſtitioſa hæc opinio cum Aſtronomia ex Ægypto, ut veroſimile eſt, Romam ſe quoque invexit, ubi plurimum invaluit, altaſque jecit radices. Dies enim poſteri, qui videlicet poſtridie Kal. Nonas, vel Idus erant, teſtante Agellio lib. V. c. 17. infauſti, quod Macrobius quoque Saturnal. lib. I. pag. 132. hiſce adfirmat verbis: *Dies autem poſtriduanos ad omnia majores noſtri cavendos putarunt, quos etiam atros, velut infauſta appellatione damnarunt*. Et Varro lib. V. pag. 69. poſtquam recenſuit dies, *per quos prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fieri*, ſubdit: *Contrarii horum vocantur dies nefaſti, per quos dies, nefas fari prætorem: Do, dico, addico. Itaque non poteſt agi*. Hinc in veteri MS. Membranaceo, quod a Lindembrogio in obſervat. ab librum XXVIII. Ammiani Marcellini pag. 184. memoratur; Ægyptiaci dies ex ordine deſcripti hunc præferebant titulum: *Incipiunt dies Ægyptiaci, in quibus nulla opera incipere debet*. Attamen a Romanis quoque hi dies in Calendariis adnotabantur, ut præſertim conſtat ex vetuſto Calendario a Lambecio Tom. IV. Bibliothecæ Vindobonenſis edito; ſed maxime in vulgaribus Calendariis, quæ ephemerides, ut ſupra monuimus, Romani ap-

F pella-

pellabant, adscripti fuisse videntur, ut, quum quid peragi opus esset, quisque, perspecta ephemeride facile cognosceret, num ad agendum nec ne aptus esset dies. Huc profecto spectasse Juvenalis videtur cum cecinit Satyr. VI. *Tritas cernis ephemerides & hora sumitur ex libro*: & Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. pag. 400. *Ephemeridem scrupuloso sciscitatam prodit*. Huc quoque referri fortasse possunt, quæ habet Petronius in Satirico: *Altera* (tabula) *lunæ cursum*, inquit ille, *stellarumque septem immagines pictas, ut qui dies boni, quique incomodi essent, distinguente bulla, notabantur*. Optime igitur Divus Augustinus hosce scrupulosos homines in Coment. Epist. ad Galatas. num. XXXV. *ex ephemeride vitam naufragam gubernantes appellat*.

Ab Ethnicis vero inanis hic metus ad Christianos pertransiit, diuque viguit in eorum etiam animis, qui prudentiæ leges, atque rationis præ cæteris persequebantur. Hinc nostris in pervetustis Calendariis, ac in aliis antiquis monumentis *Ægyptiacorum dierum origo*. Ludovicus Antonius Muratorius V. Cl. ut alios omittam, Rer. Ital. Scrip. Tom. II. Part. II. pag. 1027. inter Ambrosianæ Bibliothecæ MSS. Codices plura opinionis hujus ethnicæ vestigia deprehendisse asserit. Nihilo tamen minus Sancti Patres eamdem semper enixe improbarunt. S. Zeno, lib. I. Tract. XV. pag. 116. Edit. Veronen. illos arguit, *qui dies observant, qui Ægyptiacos de candidis faciunt*. Confer S. Ambrosii Epistolam XXIII. ad Emiliæ Episcopos, ac Divum Augustinum in Coment.


ment. Epist. ad Galatas, atque in Enchiridio pag. 239. ubi sic ait: *Aut quis æstimaret, quam magnum peccatum sit, dies observare, & menses, & annos, & tempora; sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Hisce optime consonat cujusdam veteris Pœnitentialis formula à Jacobo Petito edita, in qua sic habetur: *Item non debere servari dies Egiciaci* (sic) *ad minuendum sanguinem, vel aliquid faciendum*, consonant quoque Statuta ms. Augerii II. Episcopi Conseran. sub an. 1280. apud Cangium in Glossario: *Dies quoque Ægyptiaci, constellationes, lunationes, Kalendæ Januarii, initia mensium, dies, menses, annus, cursus lunæ, solis, & syderum superstitione observari non debent*: & paulo post: *nulla etiam tempora sunt fausta, vel infausta existimanda, ut in eis nolit, vel velit aliquid inchoare*. Ab his igitur, aliisque Patribus, atque Scriptoribus, quos data opera missos facimus, isthæc tristium dierum vanissima observatio damnata, atque profligata demum multis ab hinc annis cessit, evasitque; sed non ita tamen, ut illius quoddam vestigium, quemadmodum nonnullis placet, in vano, indoctoque vulgo, haud remanserit. Quod etiam innuere de tempore suo videtur Cælius Rhodiginus Lectionum Antiquar. lib. VIII. cap. IX. ubi de dierum observatione,

deque *postriduanis*, vel infaustis diebus Philosophorum, *nostrates Plebeii*, scribit, *quibus saepe allinit aliquid vetustas, deluxato verbo, Ægyptiacos etiam nuncupant*.

Verum tamen causa praetereunda non est, cur hi dies *Ægyptiaci* vocitarent. Ea in declaranda, explanandaque non omnes ad unum eruditi consentiunt. Nonnullis enim, ut supra admonuimus, id nomen derivari placuit ab Ægyptiis, qui observationum hujusmodi habentur auctores; qua de re praeter Durandum jam allegatum praeterque Scriptores, qui a Cangio in Glossario adferuntur, legetis Cælium Rhodiginum in nuper laudato loco, & Ludovicum Antonium Muratorium Rer. Ital. Script. Tom. II. par. II. pag. 1027., qui omnes huic sententiae videntur subscribere. Alii contra ideo Ægyptiacos hos fuisse dies appellatos opinantur, quod nimirum atri, nigrique haberentur. *Ægyptium* enim pro *nigro* a Latinis usurpatum reperire nonnunquam licet, de quo consulendi sunt Basilius Faber in Erudit. Thesauro, & Scaliger ad Festum; hinc quoque intelligere possumus illum Svetonii locum, in Calig. c. 51., ubi legitur: *Parabatur & in nocte spectaculum quo argumenta inferorum per Ægyptios, & Æthiopes explicarentur*. His etiam assentiri videntur S. Zeno, qui in recitato loco sic ad rem nostram eloquitur: *qui dies Ægyptiacos* (videlicet nigros) *de Candidis faciunt*, & Honorius Aug. lib. II. de Imag. Mundi cap. 108. ubi ait: *Dies Ægyptiaci ideo dicuntur ---- quia Ægyptus dicitur tenebrae, ipsi tenebrosi inde nominan*

nan-

nantur, eo quod incautos ad tenebras mortis perducere affirmantur. Utra vero harum opinionum potior habenda sit, neque perquirere hic vacat, neque plurimum refert: has innuisse sufficiat.



De Codicibus, qui modo in lucem proferuntur.

CAPUT X.

CALENDARIUM GERTRUDIANUM.

AD Hagiologia, quæ hucusque nobis edisserendi argumentum, causamque præbuere, tanquam e diverticulo in viam, sermo noster tandem aliquando deveniat. Primum igitur satis antiquum occurrit Calendarium, quod *Gertrudianum* ex nomine Gertrudæ Principis fœminæ, quæ illo uti solebat, ut inferius patebit, nobis appellare placuit. Ex insigni eleganterque exarato codice Psalterium, Litaniasque continente, quem ex Regio dono Sanctæ Elisabeth Hungariæ Regis Filiæ Lantgravii Ducis Turringiæ Conjugis perillustre Forojuliense Capitulum in suo singularibus chartis referto Tabulario adservat, hocce fuit monumentum depromptum. Codicem hunc celebris Pater de Rubeis quoque memorat in Opere Monum. Ecclef. Aquilejen. num. IV. pag. 682; ibique adfert hujusce donationis verba, simulque adnotationem, quam Philippus a Turre Adriensis Episcopus immortalis memoriæ Vir his pererudite adjunxit. Ea hic quoque proferre juvat: *Sanctæ Elisabeth Ungariæ Regis filiæ, Lantgravii Ducis Turringiæ Conjugis munus, quod cum hortatu Pertoldi Patriarchæ Aquilejensis ejus --- singulari in Deum ---- dedit Honestissimo Canonicorum Forojuliensi Collegio jam pridem ejus in oran-*

orando assiduitatem cum pietate conjunctam - - - : *Ex verbis* (adnotat Adriensis Episcopus) *adversæ paginæ abrasis, quæ fere omnia restitui patet hunc sacrum Codicem donatum fuisse a Sancta Elisabeth nostro Capitulo Forojuliensi hortatu Bertoldi Patriarchæ, qui frater erat Geltrudæ ex Ducibus Meraniæ ejusdem Elisabeth genitricis. Codex vero ante ducentos annos scriptus fuerat in usum alterius Geltrudæ, cujus genus in obscuro latet; quanquam ex Principum progenie fuisse ex eo liquet, quod non semel ipsa orat pro Petro Filio meo unico, & exercitu ejus. Hæc Codicis etas deducitur ex pagina duodecima in qua visitur Imago picta ejus, qui librum scripsit, offerentis librum ipsum Egberto Præsuli, ut ex versu hinc inde expresso: Lonum fert Ruodprebt, quod Præsul suscipit Egbreht. Non alius hic est quam Egbertus Trevirorum Archiepiscopus, qui eam rexit Ecclesiam ab anno 979. ad 993. Nam Sancti, qui pictis imaginibus in Psalterio, & grandioribus, & aureis litteris repræsentantur, sunt pariter Episcopi Trevirenses. Ergo inter memoratos annos 979. e 993. codex noster exaratus fuit & quidem in Urbe Trevirensi, vel loco alio ejus Diœcesis, in qua etiam Geltrudam Principatum habuisse suum suspicari licet.* Hucusque Turrius: At Cl. Vir Laurentius quidem a Turre laudati Episcopi Adriensis Nepos, ac Congregationis Oratorii Utinensis Præpositus in quadam nondum edita Epistolari Dissertatione, ut ab illo accepimus, ulterius progreditur, annumque natalem codici nostro adsignare nititur. Et quum anno 981. Paschalem celebritatem inci-

disse inveniat sexto Kal. Aprilis, quo die quum idem Festum a Calendario nostro quoque exhibeatur, hinc ab illo egregie colligitur, hunc fuisse Codicem descriptum nuper memorato anno 981.

Idcirco Calendarium hoc *Gertrudianum* est non vulgari antiquitate præcellens, quæ præter dicta quodam modo etiam sublucet ex *Sancti* prænomine, quod in eo satis raro occurrit. Doctissimus Vir Joannes Baptista Sollerius in erudita præfatione ad Martyrologium Usuardi Artic. IV. 8. 133. pag. 36. quanto rarius *Sancti*, vel *Beati* prænomen adponitur, tanto majori vetustate præstare Martyrologiorum codices admonuit. Enim vero in vetustissimis Calendariis, & præsertim in Calendario Romano sæculi IV., quod Ægidius Bucherius edidit, notisque illustravit, nunquam, vel perraro Sanctorum nominibus hoc prænomen annectitur. Præterea in pretio hoc Calendarium est quoque habendum, quia & *Calendarium* simul, & *Necrologium* est. In medii ævi monumentis, quemadmodum supra adnotavimus, obvia sunt istiusmodi Calendaria Necrologia exhibentia. Ad nomina vero, quæ nostro in *Necrologio* adscribuntur, illustranda solicitudinem, curamque conferant, qui Germanica eruditione intime pollent, dum nobis hæc omnia, vel fere omnia in obscuro esse candide profitemur. Nullus autem in hoc Calendario dies vacuus apparet, sed singulis diebus de Sancto aliquo, vel de aliqua celebritate fit mentio, quod in aliis Calendariis etiam recentioribus perraro offendimus

mus. Quæ vero linea subducta, & alio charactere in Sanctorum nominibus persignavimus, ea aureis, vel rubeis litteris erant in Calendario descripta, ex quo conjecimus Festos singulorum mensium dies hoc pacto designari, quod aliis etiam de Hagiologiis, quæ modo proferimus, dictum quidem volumus. Missa præterea facimus, quæ de Sanctis hic exhibitis modo essent nobis dicenda, quum in observatiunculis, quas huic Calendario subjecimus, id satis abunde fecerimus. Hæc pauca dumtaxat adnotare placet de S. Catharina, quæ in eodem desideratur. Doctissimus Baronius ad. an. 307. num. XXXI. censet fœminam illam Alexandrinam martyrio sub Maximino condecoratam, ut videre est apud Eusebium lib. VIII. cap. XXVII. fuisse nomine *Catharinam*, vel quemadmodum antiqui Codices, testante eodem Baronio in Notationibus ad VII. Kal. Decem. tradunt, *Hecaterina*, *Æcbaterina*, neque obstare Eusebium Rufini lib. VI. Cap. XVII., qui eam Dorotheam vocat. Sententiæ tamen Eusebii adherent Ruinartius ad acta Martyrum pag. 239., Pagius in critica ad an. 307., num. XVI., Bollandus ad diem VI. Februarii, Tillemontius Tom. V. pag. 447. & 761. aliique. Quicquid vero sit de his summorum virorum disceptationibus extra dubitationis aleam habendum est vel ab antiquissimis temporibus tum in Græca, tum in Latina Ecclesia Sanctæ Catharinæ nomen extitisse percelebre. At quispiam hoc loco fortasse quæret, cur in permultis Latinis vetustissimis Martyrologiis, ac Calendariis il-

lius

lius memoria haud recolatur? Hoc forte evenit, quod apud Latinos ante decimum Christi sæculum ejus celebritas non ubique vulgata fuisset. Quæ postea longe lateque diffusa, celeberrima præsertim evasit, quando *in expeditione Terræ Sanctæ* Christiani sunt validam illius patrocinii opem experti, quemadmodum ex Galesinio Baronius opinatur. Quamobrem Florentinius in notationibus pag. 998. a Diva Catharina in suo Martyrologio haud quaquam descripta pro ejusdem Martyrologii vetustate tuenda novum elicit argumentum, quod Hagiologio quoque nostro mirifice aptatur.

CALENDARIUM MOSACENSE I.

INter vetusta, quæ modo luce donanda censuimus, Calendaria, secundo se se offert Calendarium Mosacense I. quod ex veteri Monastico Psalterio deprompsimus. Fuit Codex iste duodecimo sæculo, quemadmodum annorum tabula post Calendarium in eodem Codice locata demonstrat, ad usum exaratus alicujus Germanici Benedictini Cænobii, & forte Monasterii Sancti Viti in Carinthia, ut Litaniæ ab isto exhibitæ innuere videntur, in quibus Sancti Viti nomen grandiusculis litteris adnotatum legitur. Dein pertinuit ad Monasterium Mosacense Aquilejensis Diæceseos, unde cognomen Calendarium istud invenit. Alia enim manu licet antiqua descripti nostri Aquilejenses Sancti ab isto produntur, *Cantius* videlicet, *Cantianus*, *Cantianilla*, *Eufe-*

mia,

mia, *Dorothea*, *Tecla*, aliique. Hoc quoque Calendarium est, & Necrologium, in quo sunt præsertim animadvertenda, quæ adsignantur Evangeliorum initia, Sanctorum Orationes, numerusque lectionum, quæ ad nocturnas vigilias Monachorum more erant legendæ. Quæ omnia modo prætermittimus; quum superioribus capitibus de his satis, superque dictum fuerit.

Ad Mosacense vero Cenobium quod attinet paucis me expediam. Hoc insigne Cenobium in Carnis montibus situm exeunte sæculo undecimo, Vodalrico Patriarchæ Aquilejensi, ut ex antiquis tabulis nuper laudatus egregius Pater de Rubeis testatur, Monument. Ecclesf. Aquilejen. pag. 545. inchoatum fuit, illique fastigium fuit solummodo impositum anno 1119., quo etiam Andreas Civitatis Novæ Episcopus, facta sibi a Vodalrico Patriarcha facultate, hujus Monasterii templum Sancti Galli nomine erectum Deo solemni ritu dicavit, quemadmodum pervetustum rei monumentum a Veneto Italiæ Sacræ Editore, atque ab Archiepiscopo Fontanino in Commentario Sanctæ Columbæ vulgatum aperte declarat. Huic Monasterio modo præest Abbas Commendatarius Eminentissimus Cardinalis Daniel Delphinus, cujus splendidissimum genus, atque amplissimam dignitatem ab ejusdem pietate, magnificentia, doctrina, ceterisque animi præclaris dotibus mirifice exornari dicerem, nisi singularis illius modestia deterreret.

CA-

CALENDARIUM MOSACENSE II.

ALiud hic subdimus Calendarium Benedictinum, quod ad nuper laudatum Mosacense Monasterium olim quoque pertinuit, quodque a vetusto, ut vocant, *Corali* fuit nobis exhibitum. Annorum tabula, quæ in ejusdem *Coralis* initio legitur ab anno 1216. ad annum 1324. usque producta, duodecimo, vel ineunte tertiodecimo Christi sæculo istud descriptum fuisse indicat. Hoc, & nuperrime memoratum Mosacense Psalterium Venzonii adservantur in Archivo Comitis Marii a Puteo, qui hæc mecum singulari humanitate communicavit, cuique ne plane ingratus videar, hac saltem accepti beneficii commemoratione satisfactum velim.

CALENDARIUM S. ELISABETHÆ

SAnctæ Elisabeth nomine hoc exornari Calendarium placuit, eo quod Psalmorum Codici, seu Psalterio inhæreat in illius usum, ineunte Christi sæculo decimo tertio exarato, quo ab eadem Sancta donatum fuit Forojuliense Capitulum, ut ex his verbis constat, quæ sub Februario mense leguntur: *Sancta Elisabeth Lantgravii Ducis Turingiæ Conjugis munus sub* 1220. Ad hunc illustrandum Codicem, qui in Forojuliensi Capitulari Archivo prostat, & præsertim ad immagines affabre scalptas, quæ illius opercula eleganter exornant, explanandas nuper memora-

tus

tus doctissimus vir Laurentius a Turre, cujus summæ umanitati præter Gertrudianum Calendarium hoc quoque acceptum refero, concinnavit dissertationem, quæ evulgabitur in litterariis Simbolis, quas Clarissimus vir Antonius Franciscus Gorius Florentinæ Basilicæ S. Johannis Præpositus maximo litterarum bono in lucem emittit.

CALENDARIUM AQUILEJENSE I.

MEmbranaceo Ms. Psalterio olim Ecclesiæ S. Michaelis in Oppido S. Danielis, nunc Bibliothecæ Guarnero-Fontanianæ, præfixum invisitur, quod hic exhibemus Aquilejense Calendarium. Sæculo XIII. nondum adulto istud exaratum fuit. In illo enim pene omnia Sanctorum nomina, qui exeunte eodem sæculo inter Sanctos adscripti fuere, desiderantur, & licet nonnulli recenseantur, non tamen eodem tempore, ac caractere hi descripti comparent, ut exempli caussa S. Petrus Martyr. Ord. Prædicat. anno 1253. ab Innocentio IV. inter Sanctos relatus recentiori manu conscriptus occurrit. Animadversione digna est *Victoria Sancti Michaelis*, quæ VIII. Id. Maii isto in Hagiologio recolitur, quo die reliqua Hagiologia omnia, quoad scimus, *Apparitionem S. Michaelis Archangeli* proferunt: nec inter alia posthabenda sunt Festa S. Zenonis Veronensis Episcopi, qui sine Martyris præconio VI. Id. Decembris memoratur, atque S. Mariæ Magdalenæ, cui sacra dies inter solemnes recen-

setur.

ſetur. Anno enim M.CLXXX. a Vodalrico Aquilejenſi Patriarca ſancitum fuit: ut *Feſtum Beatæ Mariæ Magdalenæ*, ſic illius Patriarchæ (*a*) decretum habet, *quod hactenus in Eccleſia Aquilejenſi ſolemniter celebrari non conſuevit, deinceps novem lectionum officio diligenter, & ſolemniter celebretur*. Hoc inſuper Hagiologio confirmari etiam poteſt quod in notationibus ad Vetuſt. Occidentalis Eccleſiæ Martyrologium VIII. Cal. Maii Galeſinii auctoritate fretus Florentinius profert, videlicet Aquilejæ die 24. Aprilis S. Georgii Martyris natalem celebrari, quum cæteroqui in eodem Florentinii Martyrologio, in Calendario Frontoniano, aliiſque Martyrologiis, ac Calendariis die 23. ejuſdem menſis celebretur. Idem quoque Florentinii Martyrologium VIII. Cal. Maii cum pluribus Martyribus S. Liberalem recenſet, qui vero noſtro Calendario ſine Martyris adjecto V. Cal. Maii recolitur. At hæc de Calendario iſto adnotaſſe ſufficiat.

CALENDARIUM BONONIENSE.

EX vetuſto Breviario, quod Bononiæ in percelebri Monaſterio S. Michaelis in Sylva, Italice *S. Michele in Boſco*, ſervatur, hoc Calendarium depromptum fuit. Quæ autem ab iſto exhibentur Feſtivitates, illud inneunte decimo quarto Chriſtiano ſæculo deſcriptum fuiſſe demonſtrant: immo quum Sanctum Ludovicum Toloſanum Epiſcopum, qui a Joanne XXII. Sum-

(*a*) Vid. Monum. Eccleſ. Aquil. pag. 620.

Summo Pontifice anno 1317. Sanctorum Fastis adcensus fuit, die 19. Augusti memoret, neque recenseat S. Thomam; quem idem Joannes XXII. anno 1323. inter Sanctos adscripsit, hinc, ni fallor, illius natalem annum inter annos 1317. & 1323. statuendum esse colligitur. Hoc debeo Calendarium humanissimo Comiti Hieronymo Sylvestro Rhodigino, qui majores suos plurima eruditione, politiorisque litteraturæ cultu egregie refert.

CALENDARIUM AQUILEJENSE II.

QUamquam Calendarium, quod hic in lucem proferimus Januario, e Februario mense mutilum sit, & nulla antiquitatis laude præcellat, dignum tamen nobis visum fuit, quod typis mandaretur, quum & illud suam quoque Aquilejensis ritus studiosis opem afferre possit. Hoc depromsimus ex Ms. Missali Aquilejensi sæculo XIV. exarato, quo Zoppolenses Dynastæ potiuntur, quoque olim utebatur illorum gentilis Antonius Panciera Cardinalis, & Aquilejensis Patriarcha. Mirum in illo Sanctorum Aquilejensium nomina satis raro adcenseri, & præsertim Hermachoram, & Fortunatum illius amplissimæ Diæceseos Sanctissimos Patronos omitti.

CALENDARIUM PARMENSE-AQUILEJENSE.

NObis hoc Calendarium exhibuit vetustus Ms. Missalis liber qui in Oppido S. Danielis

nielis in Guarnero-Fontoniana Bibliotheca custoditur. *Hoc Missale*, ut in prima ejusdem pagina adnotavit Archiepiscopus Fontaninus, *primo pertinuit ad Ecclesiam Parmensem, quemadmodum apparet ex Kalendario, deinde vero ad Ecclesiam Marani in Diœcesi Aquilejensi*. In eadem quoque pagina alia legitur adnotatio indicans tempus, quo ad Marani Ecclesiam istud translatum fuit. Hæc sic habet: MCCCCLXVIIII. die... Maii *Michael de Malisana, cujus anima requiescit in pace, emit hoc Missale pro communi utilitate Ecclesiarum Fraternitatum Marani, videlicet Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Antonii*. Maranum, seu Marianum vetustum, ac munitissimum in hac Forojuliensi Patria Oppidum est ad Zelinam amnem situm, stagnisque Adriatici maris ferè circumdatum, cujus meminere Paulus (*a*) Diaconus, Serenissimus (*b*) Dandulus, Henricus (*c*) Palladius, aliique, quos omnes hic memorare piget. Hoc in Oppido anno 586. vel 587. Concilium, seu Schismaticorum Conciliabulum, in quo Aquilejensis Metropolita Severus rediit ad schisma, habitum fuisse egregie approbat Pater de Rubeis contra Cl. Patrem Joannem Berretta, qui in Chorografica Dissertatione *De Italia Medii Ævi* veteris Celinæ, hodierni videlicet Maniaci id evenisse contendit. Quanquam nulla, vel satis exigua hoc Calendarium commendet antiquitas, nihilominus illud edendum curavi haud incer-

(*a*) Lib. III. Cap. XXVII.
(*b*) In Chron.
(*c*) Rerum Forojul. lib. I. pag. 17.

incerta spe nisus ipsum non ingratum futurum præcipue illis, qui Sacras Parmensis Ecclesiæ antiquitates perquirunt. Plura enim ex isto scitu digna eamdem ad Ecclesiam spectantia percipient ii; quæ vero nos hoc loco brevitati studentes posthabemus, maxime quum ista Calendarium nostrum consulenti statim occurrant.

Libellus, quo Aquilejensi in Ecclesia Celebritates olim edebantur.

CAlendaria, de quibus hucusque edisseruimus quid simile excipit, Libellus videlicet, quo in Aquilejensi Ecclesia Dies Festi indicebantur. Istud Hagiologium habetur in calce cujusdam Evangeliarii *de circulo anni* tertio decimo Christi sæculo conscripti, ut ex characterum forma, aliisque signis aperte colligitur, quod in archivo amplissimi Aquilejensis Capituli servatur. Plura animadversione digna hoc in libello apparent, inter quæ est sane adnotandus peculiaris ritus, quo Aquilejensis Ecclesia ea tempestate utebatur, Dominico videlicet adsignandi die omnes fere celebritates, quæ vel D. N. Jesu Christo, vel Beatissimæ Virgini Mariæ, vel Sanctorum memoriis sacræ habebantur; neque pretereunda sunt quæ in isto ad Aquilejensem ritum spectantia produntur, nempe quando in Aquilejensi Ecclesia solemniorum celebritatum indictiones fierent, quo tempore Vigiliæ, quo die, quaque hora Scrutinia haberentur. At non est in animo hic omnes, quas


 Libel-

Libellus iste exhibet, egregias res in medium proferre. Illas singillatim perquirat, qui ad exornandum Patriarchinum, seu Aquilejensem ritum operam, studiumque contulerit. Hæc perfunctorie innuisse nobis satius sit. Breves insuper Libello isto adjunximus notationes, illos præcipue exornantes Aquilejenses Sanctos, de quibus non disseruimus in Epistolari Dissertatione in quoddam Altare portatile, quam in Appendice dabimus.

Post hactenus memorata Hagiologia quibusdam pervetustis Litaniis locum damus, neque idcirco in diversam scenam transimus, quum hæ Martyrologiis, atque Calendariis persæpe socientur. Quæ nobis primum occurrunt *Benedictinas* appellare placuit, eo quod illa deprompsimus ex Psalterio in usum Monachorum Ord. S. Benedicti nono sæculo exarato, quemadmodum præter alia signa Characterum forma testatur. Ad Monasterium Mosacense olim pertinuit Codex ille, qui modo in Archivo Marchionis de Colloredo prostat. Cl. Vir. Joseph Binius Glemonæ Archipresbyter hunc mecum singulari humanitate communicavit. *Gertrudianas* Litanias alteras appellamus, quod videlicet sumtæ fuerint a supra laudato Psalterio Gertrudiano. Sanctorum nomina, quæ hic majusculis distinguuntur litteris, in autographo aureis, ac grandioribus characteribus repræsentantur. Hos Sanctos omnes ad amplissimam Trevirensem Ecclesiam spectasse Adnotatiunculæ, quibus istos adornavimus perspicue indicabunt.

Ter-

Tertiæ tandem item Benedictinæ a nobis nuncupantur quod ab eodem Monastico Psalterio, a quo Calendarium Mosacense I. mutuati sumus, etiam istas transcripsimus. Hæc de Hagiologiis, quæ modo in lucem proferimus, erant nobis breviter adnotanda.



Series, & explanatio quorumdam verborum in pervetustis Ecclesiasticis Calendariis occurrentium.

Accensio *Lunæ*: dicitur a medii ævi scriptoribus *Accensio*, & *Incensio Lunæ*. Rabanus *de computo* n. 83. *accensio lunæ primi mensis*: & n. 56. *Luna primi mensis, quæ nunc verbi gratia meridie, & secundi, quæ nunc in medio noctis accenditur*. Alteram vocem sæpe usurpat Beda, ut de *temporum rat.* cap. XL. de saltu lunari scribens, *quod cum citius, quam vulgo putatur, lunaris incensionis locus ex ora*: Et Cyrillus Alexand. apud Bucherium: *Communem annum facitis de embolismo dum observatis lunam incensam in III. Non. Mart.* Ducangius *Lunam incensam* interpretatur Plenilunium.

Æquinoctium. Solent in Calendariis adscribi quatuor anni Cardines, duo videlicet Æquinoctia, & duo Solstitia; *Æquinoctia* cum dies apud nos equantur noctibus sensibiliter: *Solstitia* cum Sol lentissime progredi, sive etiam stare videtur. Statuuntur autem Ecclesiasticis in Calendariis *Æquinoctium vernum* XI. Kal. Aprilis *Solstitium æstivum* XII. Kal. Julii *Æquinoctium Autumnale* XII. Kal. Octobris, *Solstitium Hyemale* XII. Kal. Januarii.

Æstas, *Autumnus*. Solent etiam adnotari quatuor anni tempestates sic: *Ver oritur*, sive *Veris initium*. Discrepant autem inter se. Nam aliqua Calendaria his diebus appingunt *Ver* VII. Id. Februa-

Februarii *Æstatem* VII. Idus Maii, *Autumnum* VII. Id. Augusti, Hyemem VII. Id. Novembris: Alia IX. vel X. Kalendas Martii, Junii, Septemb. Decembris.

Dies sæculi primus in aliquibus Calendariis adnotatur. De eo Beda *de tempor. ratione* cap. IV. *Quo sane in loco primus sæculi dies sit, nonnulli quærentes XII. Kalendarum supra scriptarum* (Aprilis) *die magis adnotatum putarunt uno utique hoc Æquinoctii argumento nitentes, quasi rationi congruat, ut quia Deus æquis in principio partibus lucem tenebrasque diviserit, ibi præcipue tunc caput Mundi, ubi nunc Æquinoctium fieri credatur.* Vere ne, an Autumno conditus sit Mundus, quærit Petavius *de doctrina* Temp. lib. IX. cap. VI. Statuens Autumno esse creatum.

Embolismus dicitur tam mensis quam annus. Cum enim Computistæ lunarem mensem definirent diebus 29: ½, constituerunt lunares menses alternatim dierum 30., & 29. cum vero hac ratione menses XII. efficiant dies 354. sit autem annus solaris communis dierum 365. supersunt singulis annis communibus dies II. Hos, ubi in mensem excurrerunt colligentes, mensem XIII. illo anno interserverunt, qui mensis dictus est *Embolismus*, sive *Embolimeus*, & annus ille *Embolismus*. Fuerunt autem in Cyclo decennovennali anni Embolimei III. VI. VIII XI. XIV. XVII. XIX. ut tradit Petavius lib. VI. cap. VI. T. VII.

Epactæ, concurrentes, regulares. In Calendariis aliquando etiam *Sedes Epactarum*, *Sedes Concur*-

rentium ponitur. Epactarum nomen ad Lunam referri solet; & sunt supervacanei dies, qui de lunari anno XII. mensium lunarium restant in anno solari, atque ita vocantur Epactæ, quod ad Lunæ, ut Computistæ loquuntur ætatem, obtinendam ἐπάγονται, idest ad τοςιαιαν mensis adduntur. Sunt autem primo num. XI. deinde XXII.

Regulares Lunæ sunt dies ætatis Lunæ in anno primo Cycli Lunaris, qui singulorum mensium Calendis affixi sunt, immotique consistunt, idest Januar. IX. Febr. X. Mart. IX. April. X. Majo XI. Junio XII. Julio XIII. Augusto XIV. Sept. XVI. Octob. XVI. Novemb. XVIII. Decemb. XVIII. Horum regularium ope, & ope Epactarum habes lunæ ætatem in Calendis singulorum mensium. Si enim addas dies, qui post superioris anni novilunium restarunt, diebus, qui constanter supersunt neomeniis mensis illius, habebis dies, quibus luna distat a novilunio. Fallit tamen hæc regula die uno annis III. VIII. XI. XIX. propter embolimeos menses.

Concurrentes alio nomine dicuntur Epactæ solis; dies nimirum, qui residui sunt ex septenaria partitione dierum anni antecedentis. Notum est enim quemlibet annum comunem primo, & ultimo die habere eamdem feriam, quare annus subsequens incipit feria subsequenti. Quemadmodum autem ad investigandam ætatem lunæ, annuæ epactæ cum *regularibus* adhibentur, sic in vetere Calendario ad inveniendam feriam in usu erant *Regulares* solis cum *Concurrentibus* solis.

Regulares autem *solis* sunt feriæ Calendarum anno

anno primo simili prorsus modo, quem de *Regularibus* lunæ, & epactis ejusdem diximus. Atque ita etiam hi regulares omnibus annis iidem sunt, nimirum Januarii II. Februarii V. Martii V. Aprilis I. Maji III. Junii VI. Julii I. Augusti IV. Septembris VII. Octobris II. Novembris V. Decembris VII.

Pascha primum. Prima incensio Lunæ Paschalis. Ultima incensio Lunæ Paschalis. Sunt termini Paschales, de quibus Computistæ. Rabanus n. 83. „ Quarta decima Luna Paschalis habet decem, „ & novem dies inter duos menses solis per decem & novem annos, qui dicuntur termini „ Paschales, hoc est non. Aprilis, VIII. Kal. „ Aprilis & reliqua; sic etiam accensio primi „ mensis per decem & novem dies solis discur„ ret, qui sunt Decim. Kal. Aprilis, quarto Id. „ Martii & reliqua „. Subiicit tabellam, in qua isti sunt termini Paschales in Cyclo decennovennali. Non. April. VIII. Kal. April. Id. April. IV. Non. April. XI. Kal. April. IV. Id. April. III. Kal. April. XIV Kal. Maii, VII. Id. April. VI. Kal. April. XVII. Kal Maii, Prid. Non. April. IX. Kal. April. Prid. Id. April., Kal. April. XII. Kal. April. V. Id. April. IV. Kal. April. XV. Kal. Maii. Hinc pendent Quadragesima, Pentecostes, quæ etiam aliquando in Calendariis adnotantur, ut exempli gratia *Primum Pentecoste*, *ultimum Pentecoste* &c.

Saltus Lunæ in Calendariis adnotatus identidem reperitur hoc modo *hic est saltus*, vel *hic saltus Lunæ*. De hoc Rabanus nu. 56. „ Saltum Lu-

„ næ locus & hora citior incensionis ejus per novemde-
„ decim annos efficit. Quamvis enim quidam singulas lunas viginti novem semel diebus computantes, incensionis earum medio diei, & medio noctis semper alternent, non in hoc tamen veritatem naturæ, sed calculandi facilitatem inquirunt. Nam si naturam quæras, luna primi mensis, quæ nunc verbi gratia meridie, & secundi, quæ nunc in medio noctis accenditur, anno futuro, hora & decem momentis, & dimidio momenti, & decima nona parte dimidii momenti ante medium diei vel noctis illustratur. Nec tamen hac distinctione ad certum Embolismi, vel communis anni terminum, sed ad æquam divisionem novemdecim tendit annorum: sicque per novemdecim annos lunaris accensio sese præoccupando unius diei spatium amittens, ultimum decennovennalis Cycli annum 373. diebus facit computari. Quod si facere negligas per quindecim decennovennales cyclos quintadecima luna tibi ubi prima putatur occurret. „

CA-

CALENDARIUM GERTRUDIANUM.

Jan. habet d. xxxi. L. xxx.

A	KL.	Circumcisio Domini.
B	IIII NON.	Octava S. Stephani.
C	III N.	Octava S.Johan. Evang. Judind.
D	II N.	Octava Scor. Innocentium.
E	NON.	Symeonis Monachi. (a)
F	VIII ID.	*Epiphania Domini.*
G	VII ID.	Ysidori Episc. Conf.
A	VI ID.	Luciani & Messiani Mart.
B	V ID.	Juliani cum multis Mart.
C	IIII ID.	Pauli primi Heremite.
D	III ID.	Brictive Virg. I. Brigittae
E	II ID.	Archadii Mart.
F	IDUS.	*Oct. Epiphania Domini.*
G	XVIIII K.	FEB. Sancti Felicis Conf.
A	XVIII K.	Licerii, Cornelii & Celesti mr.
B	XVII K.	Marcelli Pp.
C	XVI K.	Antonii Monachi.
D	XV K.	Rome Catedra S. Petri, & Prisce v.

E XIIII

(a) *Symeonis Monachi*: Licet hic unius Symeonis solummodo mentio fiat, ut etiam habetur apud Adonem, Usuardum, & Romanum parvum, duo tamen in plerisque Martyrologiis hac die Symeones recoluntur *Symeon* videlicet Propheta, & *Symeon Stylita*. Utrosque, sed die quarta Januarii memorat Calendarium Vaticanum a Cl. V. Dominico Georgio editum his verbis: *In Antiochia Sancti Symeonis Monachi, & Hierusalem Sancti Simeonis Propheta*. Tres a Doctissimis Bollandianis Sociis ad hanc diem pag. 273 Stylitæ nomine Simeonis distinguuntur, quos consule si lubet. De Styliris, & de more in columnis consistendi apud Græcos vide plura apud Leonem Allatium in Diatriba de Simeonum scriptis, & apud Albertum Fabricium Bibl. Græc. Tom. IX, pag. 277.

E	*XIIII*	K.	Pontiani mr. (*a*)
F	*XIII*	K.	Scorũ mar. Fabiani & Sebast.
G	*XII*	K.	*AGNETIS v.*
A	*XI*	K.	*V*incentii Diac. & mr.
B	*X*	K.	Emerentiani & Macharii
C	*VIIII*	K.	Timothei & babillæ & Sabine v.
D	*VIII*	K.	*CONVERSIO S. PAULI.*
E	*VII*	K.	Policarpi ep. & conf.
F	*VI*	K.	Johan. ep.
G	*V*	K.	Octav. S. Agnetis v. (*b*)
A	*IIII*	K.	*V*alerii ep.
B	*III*	K.	*A*ldegunde v.
C	*II*	K.	Concordii.

Feb.

(*a*) *Pontiani martyris* : Apud Rabanum Maurum, & Notkerum, atque in Martyrologio Fuldensi, ac in Calendario Vaticano apud Georgium Sanctus martyr Pontianus die xxv. Januarii recolitur; hac vero die in Romano parvo.

(*b*) *Octava Sanctæ Agnetis Virginis* : In veterrimis hagiologiis varie hac die de Sancta Virgine Agnete agitur. Aliqua hic tantummodo proferam. *Roma nativitas Sanctæ Agnetis Virginis* habet Hieronymianum Martyrologium Lucense Romanum parvum: *Sanctæ Agnetis secundo:* Beda: *Natale Sanctæ Agnetis de Nativitate*, Martyrologium Epternacense apud Bollandianos: *Et Romæ Agne ingenuinum*. Quid sibi velit *ingenuinum* in notis hac die Florentinius se ignorare fatetur. Hoc Natale genuinum innuere discimus a Rabano, qui sic ait: *Roma Sanctæ Agnetis Virginis genuinum*, hoc est de Nativitate, quod diserte nobis quoque tradunt Notkerus his verbis: *Octava Sanctæ Agnæ*, *vel juxta quosdam natalis genuinus*; ac Calendarium Frontonianum, in quo die 28. Januarii legitur *Natale S. Agne de Nativitate*, quum die 21. ejusdem mensis legatur *Natale S. Agne de Passione*. Hinc colligere est hac die olim celebrari consuevisse diem Agnetis Natalem, diem videlicet, qua nata est, qui dies in Ecclesiasticis monumentis *natalis genuinus*, seu *natale genuinum* appellatur. Habentur in Sacramentario Gelasiano pag. 223. Orationes ad Missam *in Natale genuino*: Habetur quoque apud Ruinartium in actis SS. Martyrum *Pionii* & sociorum pag. 123. *Natale Polycarpi Martiris celebrantes genuinum*. S. Agnes Romæ celeberrima fuit. Adeundus est Fronto in Not. ad Cal. ubi plura de illa, ejusque Ecclesia, ac sepulcro congessit.

FEB. b. d. XXVIII. L. XXV.

D	KL. FEB.	Brigide vr.	Brigida
E	IIII N.	*Purificatio* S. *MARIE*.	
F	III N.	Blasii epi. & mr.	
G	II N.	Fileæ epi. & conf.	
A	NON.	*AGATE V.*	
B	VIII ID.	*Vedasti* & Amandi. epor.	
C	VII ID.	*Auguli* epi.	
D	VI ID.	Dionisii & Sebastiani mr.	
E	V ID.	*Appollonie* virg.	
F	IIII ID.	*Scolastice* v.	
G	III ID.	Socior LXXXVIII mr. (*a*)	
A	II ID.	*Fustasie* & Eulalie v. (*b*)	
B	IDUS.	Stephani Conf. (*c*)	

C XVI.

(*a*) *Sociorum*: Hic designari Martyres Concordiæ passos verosimile est. Hac quoque die, ni egregie fallor, illos memorat Calendarium Vaticanum apud Georgium, quod habet: *Sancti Castrensis mart. Roma Sancti Gregorii Papa*. LXXXVIII. Ceteroqui a Martyrologiis omnibus XIII. Kal. Martii solummodo recensentur. Sed mirum est quam perturbata in Martyrologiis illorum nomina appareant. Hos *Martyrologium* Hieronymianum apud Florentinium, Reginæ Svecorum apud Bollandianos, atque Notkerus Africæ tribuunt. Alia vero Martyrologia sine ulla provinciæ additione Urbi Concordiæ adsignant. *Apud Urbem Concordiam*, habet Ado, *passio Sanctorum Donati*, *Secundiani*, *Romuli cum aliis octoginta sex*. Idem legere est in Martyrologio Romano Usuardi, ac in aliis permultis. Ideoque in partes eruditi scinduntur, quorum aliqui, ut Florentinius inter Africanos Martyres illos recensent. Istis vero non assentitur Henschenius, qui ex Ferrario præsertim, & Barbarano nostræ Forojuliensi Concordiæ olim celeberrimæ Urbi, atque insigni Romanæ Coloniæ Tribui Claudiæ adscriptæ, nunc solo æquatæ eos adsignare non dubitat. Hacce de re quidquid sit: tamen extra aleam dubitationis est illos ultra hominum memoriam specialem, celebremque cultum in Concordiensi Urbe, ac Diœcesi obtinere, antiquissima traditione vigente, ibi eos martyrii corona exornatos fuisse.

(*b*) *Fustasiæ*: Eufrasiæ legendum opinor. Ado, Usuardus, Martyrologium Fuldense hac die Eufrasiam memorant.

(*c*) *Stephani confessoris*: *Lugduni depositio B. Stephani* exhibet Martyrologium a Florentinio editum, unde a titulo *depositionis* hunc Confessorem fuisse Vir ille doctissimus conjectatur. Codex noster hoc diserte confirmat. Petrus vero de Natalibus, & Mau-

C	XVI	K.	*MAR.* *V*alentini mr.
D	XV	K.	*F*auſtini & Jovite
E	XIIII	K.	Juliane v.
F	XIII	K.	*P*olochromii ep. & mr.
G	XII	K.	*P*antaleonis mr.
A	XI	K.	*B*abini mr.
B	X	K.	*F*ucharii epi. & Conf. (*a*)
C	VIIII	K.	*F*ortunati mr.
D	VIII	K.	***Cathedra S. PETRI in antiochia***
E	VII	K.	*P*olicarpi presb. Hevikic
F	VI	K.	***Natal. S. MATAIE apli.*** Hevikic
G	V	K.	*V*ictorini & Victoris mr. in . . . es
A	IIII	K.	*A*lexandri ep. & Conf. Hiltiriti
B	III	K.	Juliani mr.
C	II	K.	Romani Conf.

KL.

---

rolycus illum Martyrem faciunt. Secernendus eſt noſter Stephanus Lugdunenſis Antiſtes, à S. Stephano patria Lugdunenſi, ſed Epiſcopo Dienſi. Theophilus Raynaudus ex Indiculo Sanctorum Lugdunenſium ſub anno Chriſti 490. primum floruiſſe pronunciat, alter vero recentior eſt.

(*c*) *Fucharii:* Eucharii reponendum arbitror. Eucharius, vel Eucherius fuit Aureliæ Epiſcopus, qui in Martyrologio Galeſinii, & Baronii hac die memoratur, ſequenti vero apud Bedam, Rabanum, & Notkerum. Floruit temporibus Caroli Martelli, de quo ſi plura expetis adeas velim Mabillonii Annal. Benedic.

KL. MAR. b. d. XXXI. L. XXX.

D			Donati mr. & epi. (a)
E	VI	N.	Simplicii pp.
F	V	N.	Theodoti mr.
G	IIII	N.	Transl. S. Vvencesl. mr.
A	III	N.	Foce mr.
B	II	N.	Victoris & Victorini mr.
C	NON.		Perpetue & Felicitatis.
D	VIII	ID.	Filemonis mr.
E	VII	ID.	*XL. Mr.*
F	VI	ID.	Alexandri & Gai mr.
G	V	ID.	Inarmochia XL. mr.
A	IIII	ID.	*S. GREGORII PP.*
B	III	ID.	Macedonii Conf.
C	II	ID.	Leonis pp.
D	IDUS.		Lucii epi.
E	XVII	K.	*APRL.* Cyriaci m. Eugen.
F	XVI	K.	Gertrudis virg. (b)
G	XV	K.	Alexandri epi. Lwigart
A	XIIII	K.	Quintini & Quintilli.
B	XIII	K.	Guthberti abb.
C	XII	K.	*BENEDICTI* abb.
D	XI	K.	Saturnini mr. (c)

EX

(a) *Donati*: Donatus Martyr, & Episcopus hic exhibetur; ab omnibus enim Martyrologiis, omissa Episcopi designatione, illius memoria recolitur.

(b) *Gertrudis*: De Sanctæ Gertrudis Virginis, ac Nivigellæ, hodie *Nivelle*, Abbatisse emortuali die eruditi viri disceptant. Bollandiani Socii, ac Mabillonius in XV. Kal. Aprilis illum reponunt, secus vero Bovvillartius, ac Pagius sextodecimo Kal. Aprilis eumdem adsignant, quorum sententiam Hagiologium nostrum confirmare videtur. De ea Mabillonius Secul. II. Bened. ad an. 658. pag. 442.

(c) *Saturnini*: Non hoc die, atque mense ab aliis Martyrologiis Sanctus Saturninus exhibetur.

E	X	K.	Albini mr.
F	VIIII	K.	Pigmenii epi.
G	VIII	K.	*Adnuntiacio S. Mariæ.*
A	VII	K.	Liuthgerii conf.
B	VI	K.	*Resurrectio Dñi.*
C	V	K.	Prisci malchi
D	IIII	K.	Eustasii conf.
E	III	K.	Quirini mr.
F	II.	K.	Reguli epi. & conf.



KL.

KL. a APR. b. d. XXX. L. XXVIIII.

G			Quintini agapiti m. (*a*)
A	IIII	N.	Nericii epi. & conf. (*b*)
B	III	N.	Theodosie v.
C	II	N.	Ambrosii epi. & conf.
D	NON.		Martiane nicanoris m.
E	VIII	ID.	Xixti pp. mr.
F	VII	ID.	Fresippi viri Sanctissimi (*c*)
G	VI	ID.	Perpetui epi.
A	V	ID.	Sanctarum VII. virg. Diepoldus
B	IIII	ID.	Antonii m. Marchio.
C	III	ID.	Leonis pp.
D	II	ID.	
E	IDUS.		Eufemie v.
F	XVIII.	K.	MAI.
G	XVII	K.	Tiburtii, Valerii, & Maximi m.
A	XVI	K.	Victoris mr.
B	XV	K.	Carisii cum aliis VII.
C	XIIII	K.	Petri Diac. (*d*)
D	XIII	K.	Eleterii mr.
E	XII	K.	Vincentii mr.

D XIII

(*a*) *Quintini*: Sed melius forrasse Quintiniani .! De Quintino enim, quod sciam, hac die Martyrologium agit nullum.

(*b*) *Nerici*: Ab Adone, Usuardo Notkero, Wandalberto, atque a Martyrologiis omnibus hac die *Niceti* habetur:, cujus loco nostro in codice scribarum mendo *Nericii* nomen irrepsisse arbitror.

(*c*) *Fresippi*: Hegesippi legendum esse nobis omnia Martyrologia suadent.

(*d*) *Petri Diaconi*: Hic Petrus S. R. Æ. Diaconus, atque Gregorii M. Discipulus circa annum 606. floruit. Petrus Equilinus inter alia hæc de eo profert: *Hic sanctitate conspicuus, bonus magistri imitator extitit*. Habet & locum in Martyrologio Benedictino, quamvis incertum sit, an fuerit Monachus. Joannes Diaconus in Vita S.Greg. M. lib.II.c.XI. inter familiares sanctissimi Pontificis Clericos, non inter Monachos illum recenset. De illo adeundus est Mabillonius Act. Sanctor. Ord. S. Bened. Sæcul. primo pag. 484. ad an. 606.

F	XI	K.	Genesii mr.
G	X	K.	Symeonis epi.
A	VIIII	K.	Gai pp. & m. (*a*)
B	VIII	K.	
C	VIII	K.	Alexandri mr.
D	VI	K.	
E	V	K.	Marcelli pp. & m. (*b*)
F	IIII	K.	Anastasii pp. & mr.
G	III	K.	Vitalis mr.
A	II	K.	Agapiti . Secundini . Germani Epor. Quintini ep. e conf.

K L.

(*a*) *Gaii* : Cajus Romanus Pontifex Maximus hic designatur, de cujus gestis, martyrio, cultu, ac sedis tempore Bollandiani Socii hac die agunt, quam omnia quidem Martyrologia illum exhibent, sed pleraque fortasse amanuensium culpa sub nomine *Gagi*, vel *Gaii*. *Roma depositio Gagi Episcopi* proferunt Martyrologia Richenoviense, Augustanum, Fuldense, & Reginæ Suecorum, *Gajum* vero illum appellant Indiculus *depositionis Episcoporum* idest Romanorum Pontificum in Calendario Bucheriano, Apographum Hieronymianum Lucense, Beda genuinus, aliaque.

(*b*) *Marcelli* : Assentitur codex noster Bedæ genuino a Bollandianis edito, in quo legitur quoque *Marcelli*, quum reliqua fere omnia Martyrologia *Marcellini* exhibeant.

KL. MAI. h. d. XXXI. L. XXX.

B			*Philippi & Jacobi.*
C	VI	N.	Atanasii epi. & conf.
D	V	N.	*Inventio S. CRUCIS.*
E	IIII	N.	Floriani mr.
F	III	N.	Ascensio Dni. frinæ v.
G	II	N.	Johan. ap. ante portam Latinam
A	NON.		Juvenalis mr.
B	VIII	ID.	Victoris mr.
C	VII	ID.	Gregorii epi. & conf.
D	VI	ID.	Gordiani & Epimachi
E	V	ID.	Mamertini epi. & conf. (a)
F	IIII	ID.	Nerei & achillei, atque pancratii
G	III	ID.	Gangolfi mr.
A	II	ID.	Rome S. Bonifacii m.
B	IDUS.		Ysidori mr.
C	XVII	K.	JUNII. Vincentii peregrini m.
D	XVI	K.	Torpetis mr.
E	XV	K.	Marci pp.
F	XIIII	K.	Potentiane v.
G	XIII	K.	Eustasii mr.
A	XII	K.	Elene matris Constantini imp. (b)
B	XI	K.	Faustini conf.
C	X	K.	Sulpitii & Serviliani mr.
D	VIIII	K.	Donatiani & Rogatiani mr.
E	VIII	K.	Urbani pp. & mr.
F	VII	K.	Augustini epi. (c)

(a) *Mamertini*: In aliis Martyrologiis Mamerti. Hic Mamertus fuit Viennensis Episcopus, qui, ut ait Ado, *solemnes ante Ascensionem Domini Litanias instituit*. De quibus Litaniis, seu rogationibus consule quæ supra adnotavimus in cap. de Litaniis. pag.

(b) *Elene*: De Sancta Helera Usuardus, Ado, ac Romanum Martyrologium quintodecimo Kal. Septembris agunt.

(c) *Augustini*: In pene omnibus Latinorum Fastis celebris hac die est S. Augustinus Anglorum Apostolus, ac primus Cantua-

G	*VI*	K.	Julii epi.
A	*V*	K.	Germani epi.
B	*IIII*	K,	Maximi epi. (*a*)
C	*III*	K.	Felicis pp. & mr.
D	*II*	K.	Petronelle v. (*b*)

K L.

xienfis Epifcopus. De illius geftis, ac obitu confule Mabillonium Sæcul. I. Benedict. pag. 498. & in Annalibus Benedict. lib. x. Confer quoque Papebrochium hac die pag. 373. Apud Bedam extat illius epitaphium.

(*b*) *Maximi*: Exhibent Maximini quamplura Martyrologia, nonnulla vero habent etiam *Maximi*. Hic fuit Trevirenfis Epifcopus, obiitque A. D. 349. Habes illius acta apud Hefchenium hac die pag. 19. & feq.

(*c*) *Petronelle*: fic corrupte Librariorum barbarie habetur, quum cæterequi *Petronilla* fcribi debeat. Gregorius III. qui fedit A. D. 731. S. Petronillæ Feftum inftituit: ut ex Anaftafio colligitur, qui in ejufdem Pontificis vita ait: *Item* in Cæmeterio S. Petronillæ ftationem annuam dare inftituit.



KL. JUNII. h. d. XXX. L. XXVIIII.

E	*JUNII.*		Nicomedis m.
F	*IIII*	N.	*Marcellini* & Petri
G	*III*	N.	Peregrini & Laurentini m.
A	*II*	N.	Zoticii. euticii. quirini ep.
B	NON.		*BONIFACII ep.*
C	*VIII*	*ID.*	*Vincentii* & benigni m.
D	*VII*	*ID.*	Celesti mr.
E	*VI*	*ID.*	*Medardi* conf.
F	*V*	*ID.*	Primi, & Feliciani m.
G	*IIII*	*ID.*	Tropidis Basilidis (*a*)
A	*III*	*ID.*	*BARNABE APOSTOLI.*
B	*II*	*ID.*	Basilidis. Cyrini. Naboris, & Nazari.
C	*IDUS.*		*Felicule* v.
D	*XVIII*	K.	JUL. *Valerii* & Rufini m.
E	*XVII*	K.	*Viti Modesti & Crescentie.*
F	*XVI*	K.	*Aurei* ep. & Justini m. (*b*)
G	*XV*	K.	Rome SCTOR. CCLXXII. m.
A	*XIIII*	K.	*Marci* & Marcelliani m.
B	*XIII*	K.	Gervasi & Protasii m.
B	*XII*	K.	Regine v. (*c*)

S. Magonza secolo IIX.

(*a*) *Tropidis* : Legitur *Tripodis* in Romano parvo, in Adone, Usuardo, atque Notkero; qui addidit *in quibusdam Codicibus pro Tripode, & Mandale in Tripoli Magdaletos scriptum reperiri*. Hinc factum est, ut monet Solerius, quod Henschenius *Tripodem*, & *Mandalem* expunxit.

(*b*) *Aurei & Justine*: Codex noster convenit Maurolyco, qui *Aureum* Episcopum vocat. In Appendice in Martyrologium Adonis a Georgio edita habetur: *In Moguntina Sancti Aurei, & Justina*. Fertur enim *Aureum* & *Justinam* illius sororem, Attila Germaniam vastante, Moguntiæ opetiisse.

(*c*) *Regine* : Confirmatur quoque Hagiologio nostro non esse *Regina* nomen a sacro Martyrum cœtu explodendum, quemadmodum apud Arringhium Tom. II. Rom. subterraneæ pag. 639. nonnulli opinantur: Hæc insuper memoratur non tamen hac die a Martyrologiis Florentiniano, & Corbejensi, atque in Appen-

D	XI	K.	Albani mr.
E	X	K.	Jacobi alfci fris. Dom. (*a*)
F	VIIII	K.	Vig. S. Johan. bapt.
G	VIII	K.	*Nat. S. Johan. bapt.*
A	VII	K.	Callcani mr.
B	VI	K.	Johan. & Pauli Sophia comitiſs.
C	V	K.	Creſcentis mr.
D	IIII	K.	Leonis pp. Vig. aploR.
E	III	K.	S.PETRI & *Pauli*. Berhtolt' co.
F	II	K.	S. PAULI.

K L.

dice Adonis. Regina Virgo, & martyr paſſa eſt Senonis, ut in Martyrologio Gellonenſi habetur, vel juxta Maurolycum, Galeſinium, & Baronium in *Territorio* Auguſtodunenſi, vel tandem, ut vult Petrus de Natalibus lib. VIII. cap. XXXXVII, apud Aliſiam Civitatem an. Chriſti ſecundum Genebrardum 244. vel ſecundum alios 251.

(*e*) *Jacobi* : *In Perſida Natalis S. Jacobi Alphei Apoſtoli* profert hac die Florentinianum Martyrologium. Hac item die recolitur S. Jacobus Alphei Filius a Rabano, atque in perveruſto Hieronymiano Calendario Canonicorum Lucenſium apud Florentinium.



KL. JULII. h. d. XXXI L. XXX.

G			*JULII*. Gaii ep.
A	*VI*	N.	Processi & Martiniani m.
B	*V*	N.	Transl. S. Thome ap.
C	*IIII*	N.	Transl. S. Martini ep.
D	*III*	N.	Domicii m.
E	*II*	N.	*Oct. aploR.* Goari conf.
F	NON.		*V*illibaldi ep.
G	*VIII*	*ID.*	Killiani ep. focior. ejus
A	*VII*	*ID.*	*A*natolie v.
B	*VI*	*ID.*	Rome VII. *Fratrum* (*a*)
C	*V*	*ID.*	Transl. S. Benedicti abb. (*b*) Boppo comes
D	*IIII*	*ID.*	Hermagere v.
E	*III*	*ID.*	*MARGATE V.* (*c*)
F	*II*	*ID.*	Foce ep. & m. Abonoldus

H 3 *G IDUS*

(*a*) *Rome VII. Fratrum*. Horum feptem Fratrum nomina nobis profereantur, ab apographo Hieronymiano Dacherii, in quo hac die fic legitur: *Roma, Prifcilla, & Natalis Sanctorum feptem germanorum, ideft Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, Januarii*: Hofce fuiffe Filios *fanctæ Felicitatis*, ex illorum Actis accipimus, quæ a Ruinartio pag. 21. edita fuere. Antonino Pio Imper. ann. D. 150. hi paffi funt. De illorum reliquiis, ac translationibus legefis Bollandianos hac die pag. 8. & feq.

(*b*) *Translatio S. Benedicti*: Hac die S. Benedicti a Caffinenfi Monafterio in Gallias ad *Floriacenfe cœnobium* translatio recolitur. Inter Gallos, Italofque Monachos maxime decertatum eft hanc fuper translationem, de qua loquitur Baronius ad an. 664. num. XXIII. cujus fententiæ adherere lubet, qua non corpus S. Benedicti, fed Reliquias tantummodo *Floriacum* delatas fuiffe ftatuitur. Hacce de infigni controverfia fi plura defideras confule præter alios Henfchenium ad diem XXI. Martii pag. 299. ac Mabillonium fæculo II. Benedict. pag. 337. & feq.

(*c*) *Margate*: Margaretæ videlicet, feu Margaritæ virginis & Martyris, de qua Wandelbertus ad diem XV. Junii canit: *Margarita martyris fplendore nitefcit*. Non una die a Martyrologiis recolitur; hac die illam memorant Apographum Bedæ Bibliot. Palat. Vatic., & alia Hagiologia apud Georgium, quem ifta de re confule in notationibus in Adonem hac die. Bollandiani acta il-

G	IDUS.		Reinſuinde v. (a) Wirnoldus R.
A	XVII	KL.	AUG. Hilari m. (b)
B	XVI	K.	Alexii conf.
C	XV	K.	Arnulfi ep. & conf.
D	XIIII	K.	Arſeni conf.
E	XIII	L.	Sabini & Maximii m.
F	XII	K.	Praxedis v. Adilbert. m°.
G	XI	K.	Marie Magdal.
A	X	K.	Apollinaris m.
B	VIIII	K.	Xpine v. Vig. apoſt.
C	VIII	K.	*Jacobi APOST.*
D	VII	K.	Jacinti mr.
E	VI	K.	Acrontii & Emeriti m. Salme
F	V	K.	Pantaleonis m. Duciſſa
G	IIII	K.	Felicis ſociorumq; ejus (c)
A	III	K.	Mr. Abdon & Sennes
B	II	II	Fabii m.

KL.

lius apocrypha cum animadverſionibus ediderunt die xx. Julii pag. 33. Hos confer, nec prætermittas Tillemontium Tom. xvi. pag. 367., ac Baronium in Notationibus ad diem *xx. Julii*.

(*a*) *Reinſuinde*: legitur hac die in Appendice ad Martyrol. Adonis apud Georgium: *Item eodem die, ſancta Renſuinda Virginis.*

(*b*) *Hilari mart.*: Apud complura Martyrologia ut Bedæ, Rabani, Adonis, Uſuardi &c. habetur *Hilarini*. Paſſus eſt hic Sanctus Martyr in perſecutione Juliani Imperatoris.

(*c*) *Felicis ſociorumque ejus:* ſingulorum nomina uno verſiculo Wandalbertus complectitur: *Felix, Simplicius, Fauſtinus, & alma Beatrix.* Numvero hic de *Felice* in Africa martyre, vel de Felice Papa I. vel hujus nominis II. agatur confer Georgium in notationibus in Adonem hac die, qui hoc negotium erudite diſquirit.

KL. AUG.

C			***Ad vincula S. Petri.*** VII. fratrum.
D	*IIII*	*N.*	Steph. pp. & m. ***Adilbertus abb.***
E	*III*	*N.*	Inventio S. Stephani.
F	*II*	*N.*	Justi presb. & conf.
G	*NON.*		***Transfiguracio Dñi.*** Sixti pp. (*a*)
A	*VIII*	*ID.*	
B	*VII*	*ID.*	Affre v. S. DONATI mr. Diepoldus
C	*VI*	*ID.*	Cyriaci m. cum sociis suis.
D	*V*	*ID.*	Vigil. S. Laurentii m.
E	*IIII*	*ID.*	***Nat. S. Laurentii.***
F	*III*	*ID.*	Tiburtii m.
G	*II*	*ID.*	Eupli Diac.
A	*IDUS.*		Yppoliti m.
B	*XVIIII.*	K. SEPT.	Eusebii ep. & conf. (*b*) Vigil. S. Marie.
C	*XVIII*	K.	***Assumptio S. MARIE.***
D	*XVII*	K.	Ursacii conf. (*c*)
E	*XVI.*	K.	Octab. S. LAURENTII.

(*a*) *Transfiguratio:* Hæc celebritas ut plurimum non hac die, sed sequenti VI. videlicet Augusti memoratur. In Codice vero Adoniano apud Georgium die 27. Julii recensetur. Vide quæ ibi in notationibus Georgius profert, & consule præsertim quæ de hac solemnitate doctissimus Cardinalis Lambertinus in Libris de Festis D.N.I.C. 8 DLXI. luculenter edisserit.

(*b*) *Eusebii Episc. & conf.* Hagiologio nostro consentit Notkerus, qui Eusebium Episcopum facit; dum reliqua sive Martyrologica, sive Liturgica monumenta illum solummodo presbyterum designant. Ex illius actis apocryphis Notkerum deceptum fuisse verosimile est. Post Mombritium a Baluzio Miscellan. Tom. II. pag. 141. ejus acta vulgata suere, quæ tamen castigatione indigere nos admonet Tillemontius Tom. V.I. pag. 776. sunt etiam consulendi Bollandiani hac die pag. 166.

(*c*) *Ursacii: Arsacius* legitur in Martyrologio Romano. Hic in Liciniana persecutione passus est A. D. 320; ut post Pagium censet Ruinartius in Acta Martyrum pag. 588. Bollandiani vero hac die pag. 210. id evenisse opinantur A. D. 350. quos consulas velim, quum ibi de Ursacii, vel Arsacii vita, martyrio, ac cultu perplura proferantur.

F	XV	K.	Agapiti m.
G	XIIII	K.	Magni m.
A	XIII	K.	Porfirii conf.
B	XII	K.	Privati ep. & conf. (a)
C	XI	K.	Timoth. & Simphoriani m. ✠ Irc
D	X	K.	Timoth. & Appollinaris m. v. Ap.
E	VIIII	K.	*S. Bartolomei apost.*
F	VIII	K.	Scnefii m.
G	VII	K.	Herenei & habundi m.
A	VI	K.	Rufi m. cum sociis suis.
B	V	K.	*Decollatio S. Johan. bapt.*
C	IIII	K.	
D	III	K.	Felicis & adaucti m.
E	II	K.	Paulini ep.

KL.

(b) *Privati Episc. & Confes.* S. Privatum Gavalitanum Episcopum Martyrologia omnia Martyrem faciunt.



KL. SEP. SEP. h. d. XXX. L. XXX.

F			Prifci mar.
G	*IIII*	N.	*J*uftini ep. & conf.
A	*III*	N.	*A*ntonii mar. (*a*)
B	*II*	N.	*M*arcelli & Jufti mar.
C	NON.		*V*ictorini felioli ep.
D	*VIII*	ID.	*M*agni mar. Sophia
E	*VII*	ID.	*A*urelioni Eurocii epifc. (*b*)
F	*VI*	ID.	Nat. *S. MARIE* Adriani mar.
G	*V*	ID.	*G*orgonii mar.
A	*IIII*	ID.	*S*alvii epifc. & conf.
B	*III*	ID.	*P*roti & Jacinti mar.
C	*II*	ID.	*S*yri conf.
D	*IDUS*.		*P*hilippi epifc.
E	*XVIII*	K.	*OCTOB. Exaltatio S. CRUCIS.*
F	*XVII*	K.	Nicomedis mart.
G	*XVI*	K.	Eufemie v. & demetrius infans.
A	*XV*	K.	*L*antberti epifc. & mart. (*c*)
B	*XIIII*	K.	*F*lorentii mar.
C	*XIII*	K.	*J*anuarii epifc. & mar.
D	*XII*	K.	*F*aufte v. Vigil. apoft.
E	*XI*	K.	*Mathei apoft.*
F	*X*	K.	*Mauritii cum foc.*
G	*VIIII*	K.	Lini pp.

(*a*) *Antonii mart. Antonini* habent fere omnia Martyrologia, & librariorum mendo, ut recte conjectatur Georgius in notat. in Adonem hac die, in aliquibus Hagiologiis *Antonii* legitur.

(*b*) *Aureliani Eurocii epif.*: *Aurelianis depofitio Sancti Evoti Epifcopi, & Confefforis* habet hac die Martyrologium Florentinianum: *Aurelianis depofitio* Sancti *Erurtii* Epifcopi hac die quoque legitur apud Adonem a Cl. Georgio editum. Librariorum ofcitantia hifce in vetuftis tabulis *Euurtius*, *Evotus*, *Evortius*, *Eortius*, *Eurocius* habetur.

(*c*) *Lantberti*: Lantbertus, feu Lambertus Trajectenfis Epifcopus A. D. 708. paffus eft. De eo, illiufque geftis agit Mabillonius Annal. Benedict. lib. xv. §. LXXII. lib. XVI. §. XXXVIII. lib. XIVI. §. XXXII.

A	*VIII*	K.	Conceptio S. Joh. Bapt. (*a*) ☉ Heinricus comes & monachus.
B	*VII*	K.	*Firmini* mar.
C	*VI*	K.	Cypriani mar. ☉
D	*V*	K.	*Cosme & Damiani m.* Richmha.
E	*IIII*	K.	*Wenceslavi mar.*
F	*III*	K.	*Dedicatio S. Michaelis arch.*
G	*II*	K.	Hieronim. presb. dedicatio eccl. Sce WENCESLAII MAR

KL.

(*a*) *Conceptio S. Johannis*: Desideratur hæc celebritas in Martyrologio Romano, quæ tamen ab Adone, Rabano, Notkero, aliisque exhibetur. *In Macharonta Castello Conceptio S. Johannis Baptista* Martyrologium Florentinianum profert. De *Macheronta*, vel *Macherunta* confer Calmetum ad verbum *Macherus*, vel Baronium in Apparatu n. 68. Nec sunt prætermittenda quæ hac de celebritate Florentinius in notationibus pag. 855., & in Exercitatione pag. 857. erudite edisserit, ubi Homilia sub nomine S. Johannis Chrisostomi in Conceptione S. Johannis Baptistæ memoratur, sed in præclarissima editione Operum S. Johannis Chrisostomi a doctissimo Montfauconio adornata inter spuria hic sermo adcensetur. Legesis etiam Bollandianos Tom. IIII. Junii pag. 701.



KL. OCT.   *OCT. b. d. XXX. L. XXVIIII.*

A			Remigii episc. Vedasti episc.
B	*VI*	*N.*	*L*eudegarii mart.
C	*V*	*N.*	*M*arci & Lini
D	*IIII*	*N.*	*M*ejolfi Diac. & conf. Bertha
E	*III*	*N.*	*P*lacidi Eutici mar. (*a*)
F	*II*	*N.*	*C*apsii & Fidei mr. (*b*)
G	*NON.*		*S*ergi & Bachi mart.
A	*VIII*	*ID.*	*D*emetrii mart.
B	*VII.*	*ID.*	*D*ionisii. Rustici & eleuterii.
C	*VI*	*ID.*	*G*ereonis sociorumque ejus.
D	*V*	*ID.*	*T*harati mart.
E	*IIII*	*ID.*	*M*aximiliani conf.
F	*III*	*ID.*	*L*upertii presb. & conf.
G	*II*	*ID.*	*C*alisti pp. cum sociis.
A	*IDUS.*		*F*ortunati mar.
B	*XVII*	*K.*	*NOVEMBR. Galli Conf.*
C	*XVI*	*K.*	*C*recentii & Florentii episc. & conf.
D	*XV*	*K.*	*LUCE EVANGEL.*
E	*XIIII*	*K.*	*J*anuarii episc. cum sociis
F	*XIII*	*K.*	*C*aprasii mart.
G	*XII*	*K.*	In Colonia sacrarum virg. XI. milia.
A	*XI*	*K.*	Severi mar.
B	*X*	*K.*	Severini conf.
C	*VIIII*	*K.*	Columbani conf.

CVIII

(*a*) *Placidi Eutici mar.*: De nomine *Eutici* Rabano consentit Hagiologium nostrum: Reliqua fere omnia Eutichii, vel Euticii exhibent.

(*b*) *Capsii*: In Beda, Adone, Floro, in Hieronymianis, aliisque Martyrologiis habetur *Casti*, quod hic quoque legendum arbitror: nomen autem *Capsii* hunc in locum librarii mendo fortasse irrepsit.

D	VIII	K.	Crispini & Crispini mr.
E	VII	K.	Vedasti & amandi demetrii mar.
F	VI	K.	Crisanti mauri & darie . Vig. apostolor.
G	V	K.	*Nat. Apostol.* *SIMONIS & JUDE.* Bolih.
A	IIII	K.	Narcissi episc. & conf. dux
B	III	K.	Socior. mart. ccxx. Marcelli episc.
C	II	K.	Quintini mar. Vigil. omnium Sanctor.

NOV.



NOV. h. d. XXX. L. XXX.

	KL.	*NOV.*	
D			*Festivitas omnium Sanctorum*.
E	*IIII*	N.	*V*ictorini mar. Eustachii socior. ejus.
F	*III*	N.	Primini abb. Egermani episc.
G	*II*	N.	*V*alentini conf. Nerii presb. *(a)*
A	NON.		*F*elicis presb. & Euseb. monach.
B	*VIII*	ID.	Willibrordi episc. & conf.
C	*VII*	ID.	*E*ustachii & soc. ejus.
D	*VI*	ID.	Rome sanct. IIII. coronatorum.
E	*V*	ID.	*T*eodori mart.
F	*IIII*	ID.	*S*. benedicti. ysac. Johis. math. & xpini. *(b)*
G	*III*	ID.	*Martini conf. & s. menne mar.*
A	*II*	ID.	*A*rchadii sociorumq. ejus.
B	*IDUS*.		*Bri*ctii ep. & conf. Liudmile VIRG.
C	*XVIII*	K.	DEC. Clementini Teodori Filimini mar.
D	*XVII*	K.	*S*ecundini mar.
E	*XVI*	K.	Othmari abb.

F XV


(a) *Valentini Confessoris Nerii pres.* Librariorum mendo, sicut in aliis Martyrologiis *Hierii*, & *Irenei*, ut in Notationibus ad diem v. Novemb. animadvertit Baronius hic quoque *Nerii* habetur; quum doctorum virorum judicio *Pierius* legi debeat. S. *Pierium* Presbyterum cum laude memorat Divus Hieronymus in epist. ad Pammachium, & ad Magnum, et in Catalogo de script. Cap. LXXVI. Illius quoque meminit Photius Codic. CXVIII., qui martyrem illum designat, cuique assentiri videtur etiam Fabritius Bibliot. Græc. Tom. V. pag. 177. Verum de illius martyrio Hieronymus, ac Martyrologia silent. Num vero obierit, ut apud Adonem, & Usuardum *Philippi Imperatoris tempore*, vel postea, ut Hieronymo placet, consule Tillemontium, qui Tom. IV. pag. 582., & seq. hisce de rebus late edisserit.

(b) *Benedicti &c.* SS. Benedicti, Isaac, Johannis, Matthæi, & Christini eremitarum, ac Martyrum in Polonia hic recolitur memoria. Postridie hujus diei exhibentur a Martyrologio Romano. Confer quæ de his adnotat Baronius in hunc diem.

F	XV	K.	Auguſtini. S. Tecle v.	
G	XIIII	K.	Romani mart.	
A	XIII	K.	Simplicii epiſc.	
B	XII	K.	Potentiani mar. (a)	
C	XI	K.	Baſilei. Saturnini. Rufi. Mauri.	
D	X	K.	Cecilie VR.	
E	VIIII	K.	*Clementis mart.*	
F	VIII	K.	Criſogoni m.	Mahthilt.
G	VII	K.	Petri mart.	
A	VI	K.	Lini pp. & mar.	
B	V	K.	Vitalis & Agricole mar.	
C	IIII	K.	Rufi mart.	
D	III	K.	Saturnini mar. (b)	Vig. apoſt.
E	II	K.	ANDREE apoſt.	Margarete
				DEC.

(a) *Potentiani: Pontiani* legendum eſt; ut Ado, Uſuardus, Martyrologium Fuldenſe, ac Romanum parvum hac die profeſunt. A Hieronymianis vero, atque a Bucheriano Calendario S. Pontianus die 13. Auguſti recolitur.

(b) *Saturnini:* De Saturnino tantum agit etiam hac die Bucherianum Calendarium his verbis: *Saturnini in Thraſonis*: reliqua fere omnia Martyrologia Saturnino ſocios admiſcent.



DEC. b. d. XXXI. L. XXVIIII.

	KL. DEC.		
F			Candidi mart. Adilhett Comitissa.
G	*IIII*	N.	Juviniani & Faustini mar. *(a)*
A	*III*	N.	Lucii conf.
B	*II*	N.	Barbare & Juliane v.
C	NON.		Sabe Monachi
D	*VIII*	*ID.*	Octav. S. ANDREE ap.
E	*VII*	*ID.*	Octava s. andree apost.
F	*VI*	*ID.*	Zenonis Conf.
G	*V*	*ID.*	Leocadie v.
A	*IIII*	*ID.*	Eulalie v.
B	*III*	*ID.*	Damasi pp. victorini m. Boppo
C	*II*	*ID.*	Ermog. Donati m. Comes
D	*IDUS.*	K.	*Luciæ V.*
E	*XVIIII.*	K.	JAN. Nicasii ep. & soc.
F	*XVIII*	K.	Valeriani ep. & conf.
G	*XVII*	K.	Ananiæ Azariæ Misaelis.
A	*XVI*	K.	Ignatii ep. & mar.
B	*XV*	K.	Willibaldi conf.
C	*XIIII*	K.	Nemesii mart.
D	*XIII*	K.	Vig. Thome apost.
E	*XII*	K.	Thome apost.
F	*XI*	K.	S. xxx. mart.
G	*X*	K.	Victoriæ, & eugenie v. *(b)*

A

(*a*) *Juviniani & Faustini: Jovianum* habet Martyrologium Corbejense, ac *Jubinianum* Galesinius; Ado vero, ac Calendarium Hieronym. Lucense apud Florentinium exhibent hac die S. Bibianam, quæ ab istis, ut ab aliis quampluribus Hagiologiis *Viviana* appellatur. *Roma Viviana Martyris Fausti Martyris* habet hac die Romanum parvum: Hinc a veritate minime fortasse aberraret, qui librariorum vitio loco *Viviana*, *ac Fausti*, *Juviniani*, *& Faustini* nomina nostrum in Hagiologium irrepsisse conjiceret.

(*b*) *Victoria & Eugenia:* Hieronym. Mart. apud Florentinium mixtim recolit cum aliis martyribus *Victoriam*, *& Eugenium*, non *Eugeniam*, quæ hic corrupte forte legitur.

A	VIII	K.	*Vigl. natl. Dni* lbutaburg
B	VIII	K.	*Nativitas Dni. Nost.*
C	VII	K.	*Stephani protomart.*
D	VI	K.	*Johis. Apli. & Evang.*
E	V	K.	*S. Innocentium.*
F	IIII	K.	Throphini ep. & conf.
G	III	K.	*Sabini ep. & conf.*
A	II	K.	*Silvestri pp.* columbe v.



Ca-

CALENDARIUM
MOSACENSE I.

I. Sæcul. XII.


Prima dies nona fit jani scorpius hora.

Januarius habet dies XXXI. Luna XXX.

III	*A*	*Kal.*	*Jan.* Circumcisio Dñi. Basilii episc.
	B	*IIII. N.*	Octav. S. Stephani prothom.
XI	C	*III. N.*	Oct. S. Joannis evang. & apli.
	D	*II. N.*	Octav. Sanct. Innocentium.
XIX	E	*NON.*	Vigil.
VIII	F	*VIII. Id.*	Epiphania Dñi.
	G	*VII. Id.*	Valentini Ep. & mart.
XVI	*A*	*VI. Id.*	
V	B	*V. Id.*	
	C	*IIII. Id.*	Pauli primi heremite.
XIII	D	*III. Id.*	
	E	*II. Id.*	
	F	*Id.*	Oct. Epiphanie Hilarii conf. Of. ut de S. Marco.
X	G	*XVIIII. K.*	*Feb.* Felicis presb. ℟ Euge ℣ Iste conf.
	A	*XVIII. K.*	Mauri Abbatis *Or.* ut de s. Vitale. *Ev.* Nemo lucernam.
XVIII	B	*XVII. K.*	Marcelli pp. & mart. *Homo* quidam peregre.
VII	C	*XVI. K.*	Antonii mon. *Or.* ut de S. Pancratio. *Ev.* Ecce nos reliq.

	D	*XV.*	K.	Prisce v. *Ev.* simile est r. c. th. *Sol in Aquarium.*
XV	E	*XIIII.*	K.	Marii & Marthe. Audifax & abbacuc.
IIII	F	*XIII.*	K.	Fabiani & Sebastiani m.
	G	*XII.*	K.	Agnetis v. & m.
XII	*A*	*XI.*	K.	Vincentii levite & mar. *Ev.* Nisi granum frumenti.
I	B	*X.*	K.	Emerentiane v. & m.
	C	*VIIII.*	K.	Timothei Apli. *Or.* ut de S. Thoma *Ev.* Hoc est precep.
IX	D	*VIII.*	K.	Conversio S.Pauli. Prejecti m.
	E	*VII.*	K.	
XVII	F	*VI.*	K.	
VI	G	*V.*	K.	Octav. S. Agnetis.
	A	*IIII.*	K.	Valerii ep. *or.* ut de S.Urbano *Ev.* Homo quidam.
XIIII	B	*III.*	K.	
III	C	*II.*	K.	Aldegundis v.

*V*ulnera seva nimis fert horis VII. quinis.
Nox horarũ. XVI. dies VIII.



Quar-

Quartus inoctonis fubrui manet ut lupus horis;

Februarius habet dies XXVIII. lun. XVIIII.

In bissextilion. Dies XXIX. lun. XX.

	D	K. *FEB.*	Brigide v. *or.* ut de S. Agnete; Simile €. r. c. d. v.
XI	E	*IIII.* N.	Purificatio S. Marie. Depositio S. Burchardi ep. in Wirhinburch.
XIX	F	*III.* N.	Blasii ep. & m. *or.* ut de S. Marcello si quis vult.
VIII	G	*II.* N.	
	A	NON.	Agathe v. & m.
XVI	B	*VIII. Id.*	Vedasti & Armandi epor.
V	C	*VII. Id.*	
	D	*VI. Id.*	Helenæ reginæ.
XIII	E	*V. Id.*	
II	F	*IIII. Id.*	Scolasticæ v. *or.* ut de S. Lucia; Simile €. r. c. d. v.
	G	*III. Id.*	
X	A	*II. Id.*	
	B	*IDUS.*	
XVIII	C	*XVI. K.*	MAR. Valentini presb. & m. Vitalis. Feliculæ & Henonis.
VII	D	*XV. K.*	
	E	*XIIII. K.*	Julianæ v. & m. *or.* ut de S. Prisca; Simile €. r. c. th.
XV	F	*XIII. K.*	
IIII	G	*XII. K.*	
	A	*XI. K.*	
XII	B	*X. K.*	
I	C	*VIIII. K.*	
	D	*VIII. K.*	Kathedra S. Petri. Venit ihe.

VIIII	E	VII.	K.	Vig.
	F	VI.	K.	Mathie. apost. Confiteor t.
XVII	G	V.	K.	Walpurgis virg. or. ut de S. Lucia. simile e. r. c. d. v. *Locus bissexti.*
VI	A	IIII.	K.	
	B	III.	K.	
XIIII.	C	II.	K.	Margareta pecatrix (alia manu posteriori)

Intter mis. tn. est horis fine timendus.
Nox horarum XIIII. dies X.



Dando

Dando diem primam dabit horam Martius ipsam.

Martius habet dies XXXI. lun. XXX.

III	D		K. *MAR.*	
	E	*VI.*	N.	
XI	F	*V.*	N.	Chunegundis Regine in Badem-berch. (alia manu posteriori)
	G	*IIII.*	N.	
XIX	A	*III.*	N.	
VIII	B	*II.*	N.	
	C	*NONAS.*		Perpetue & Felicitatis mart.
XVI	D	*VIII.*	*Id.*	*Prima incensio lune.*
V	E	*VII.*	*Id.*	
	F	*VI.*	*Id.*	
XIII	G	*V.*	*Id.*	
II	A	*IIII.*	*Id.*	Gregorii pp. Vigilate quia nescitis.
	B	*III.*	*Id.*	
X	C	*II.*	*Id.*	
	D	*IDUS.*		
XVIII	E	*XVII.*	K.	*APR.* Helari & Datiani mart. Deus qui nos *fer.*
VII	F	*XVI.*	K.	Gerdrudis v.
	G	*XV.*	K.	
XV	A	*XIIII.*	K.	
IIII	B	*XIII.*	K.	Chutperti epis. & conf.
	C	*XII.*	K.	Benedicti abbis. Ecce nos req. *Equinoctium Vernum.*
XII	D	*XI.*	K.	*Sedes Epact.* Primum Pas.
I	E	*X.*	K.	
	F	*VIIII.*	K.	Locus concurrentium.
VIIII	G	*VIII.*	K.	Adnuntiat. Dnica. Conceptio. & Crucifixio Dni.

A VII.

	A	VII.	K.	
XVII	B	VI.	K.	Resurrectio Dñi. Depositio S Rotpreti Epi. & conf.
VI	C	V.	K.	
	D	IIII.	K.	
XIIII	E	III.	K.	
III	F	II.	K.	

Quarta nec E. munda cujus nocet hora scda.
Nox horarum XII. dies XII.



Horis

Horis in primis decimus ſuffocat Aprilis.

April. habet dies XXX, lun. XXVIIII.

	G	*K. APR.*	
XI	*A*	*IIII. N.*	Mariæ egyptiacæ.
	B	*III. N.*	
XIX	C	*II. N.*	Ambroſii epi. ut de S. Silveſtro. Vos eſtis ſal. t.
VIII.	D	*NONAS.*	*Ultima incenſio lunæ.*
XVI	E	*VIII. Id.*	
V	F	*VII. Id.*	
	G	*VI. Id.*	
VIII	*A*	*V. Id.*	
II	B	*IIII. Id.*	
	C	*III. Id.*	Leonis pp.
X	D	*II. Id.*	
	E	*IDUS.*	Eufemiæ v. & m.
XVIII	F	*XVIII. K. MAI.*	Tiburtii . Valeriani , & Maximi m. Hoc eſt preceptum.
VII	G	*XVII.*	
	A	*XVI.*	
XV	B	*XV.*	*Sol in Thaurum.*
IIII	C	*XIIII.*	
	D	*XIII.*	Leonis noni pp. *orat.* ut de alio leone , Homo quidam p.
XII	E	*XII.*	
I	F	*XI.*	
	G	*X.*	
VIII	*A*	*VIIII.*	
	B	*VIII.*	Georgii m. Adelberti epi. & m. ut de S. Vincentio.
XVII	C	*VII.*	Marci evang. *Letania major* . *Ultimum Paſcha.*

VI. D

VI D VI.
E V.
VIIII F IIII. Vitalis m. Ego sum vitis.
Jacobo XIIII III G III. *Petri mar. de ord. fratrum predicatorum* (alia manu, & alio caractere posteriori)
A II. Vigil.

Undecimus nonas ferit inde diesque per horas.
Nox horarum decem. dies XIIII.



Interi-

Interimit terna Maii lux horaq. sexta.


Majus habet dies XXXI. lun. XXX.

XI.	B	*K*	*MAII.*	Philippi & Jacobi aplorum. Sigismundi regis. Walpurge v.
	C	*VI.*	*N.*	
XIX	D	*V.*	*N.*	Inventio S. Crucis. Alexandri. Eventii & Theodoli.
VIII	E	*IIII.*	*N.*	Floriani mar. iiil.
	F	*III.*	*N.*	Gotehardi epi. & confess.
XVI	G	*II.*	*N.*	Johis. apli. Dixit ihe. pet. xiil.
V	*A*	*NONAS.*		
	B	*VIII.*	*Id.*	Victoris m.
XIX	C	*VII.*	*Id.*	* *Estatis initium.*
II	D	*VI.*	*Id.*	Gordiani & Epimachi m. videns ille. *Primum Pent.*
	E	*V.*	*Id.*	iiil.
X	F	*IIII.*	*Id.*	Nerei Achillei & Pancratii m. ego sum vitis iiil.
	G	*III.*	*Id.*	Gingulfi m. Ut in Vig. S. Laurent. Nemo luc. a. iiil.
XVIII	*A*	*II.*	*Id.*	Bonifacii m. Ut de S. Agapito. si qs. vult. iiil.
VX	B	*IDUS.*		
	C	*XVII.*	*K. JUN.*	
XV	D	*XVI.*	*K.*	
IIII	E	*XV.*	*K.*	*Sol in Geminos.*
	F	*XIIII.*	*K.*	Potentianæ v. Ut de S. Lucia. Sim. e. r. c. th. iiil.
XII	G	*XIII.*	*K.*	
	A	*XII.*	*K.*	
	B	*XI.*	*K.*	Elene Virginis.

VIIII C

VIIII	C	*X.*	K.	
	D	*VIIII.*	K.	
XVII.	E	*VIII.*	K.	Urbani pp. & m. Vigilate qa. n. *Estas oritur.* iiil.
VI	F	*VII.*	K.	
	G	*VI.*	K.	
XIIII	*A*	*V.*	K.	
III	B	*IIII.*	K.	Maximini epi. ut de S. Thimoteo m. Videte vigilate iiil.
	C	*III.*	K.	
	D	*II.*	K.	Petronellæ v. Ut de S. Praxede. Simile. E. r. c. d. v. Canciani & aliorum (al. m.)

Estq. mali oris indenis septimus horis. Nox horarum VIII. dies XVI.



Quinta

Quinta nocet deni junii satis hora diei.

Jun. habet dies XXX. lun. XXVIIII.

	E	K.	JUN. Nicomedis m.
XIX	F	*IIII.* N.	Herasmi, Marcellini, & Petri. Cum audieritis xiii.
VIII	G	*III.* N.	
XVI	*A*	*II.* N.	pertoldus. pres. & m. (alia manu post.)
V	B	NON.	Bonifacii & sociorum ejus. Ut de S. Januario & soc. Ecce ergo mitto xiii.
	C	*VIII. Id.*	
XIII	D	*VII. Id.*	
II	E	*VI. Id.*	Menardi epi. & soc. ejus
	F	*V. Id.*	Primi & Feliciani m. Videns ihe. t. xiii.
X	G	*IIII. Id.*	
	A	*III. Id.*	Barnabe apli. Ut in Vig. S. Andreæ. Designavit ihe. xiii.
XVIII	B	*II. Id.*	Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii m. sedente ihe. iiii.
XII	C	*IDUS.*	Ultimum Pent.
	D	*XVIII. K.*	Julii.
XV	E	*XVII. K.*	Viti. Modesti. & Crescentiæ cu. p. sequent. xiii.
IIII	F	*XVI K.*	
	G	*XV. K.*	*Sol in Cancrum.*
XII	*A*	*XIIII. K.*	Marci & Marcelliani m. Ecce ego mitto iii.
I	B	*XIII. K.*	Gervasi, & Prothasii mar. Egrediente ihe. xiii.
	C	*XII. K.*	*Solstitium estivale.* *VIIII.*

IIII	D	*XI.*	K.	Albani mar. Ut de S. Ciriaco Nolite arb.	iiil.
	E	*X.*	K.	Paulini epi. Ut de S. Steph. pp. Vigilate quia n.	
XVII	F	*VIIII.*	K.	Vig.	
VI	G	*VIII.*	K.	Nativitas S. Johan. baptiste.	xiil.
	A	*VII.*	K.		
XIIII	B	*VI.*	K.	Johan. & Pauli mar. Attendite a ferm.	xiil.
III	C	*V.*	K.		
	D	*IIII.*	K.	Leonis pp. Vos estis sal ter. Vig.	iiil.
XI	E	*III.*	K.	Petri & Pauli apost.	xiil.
	F	*II.*	K.	Celebritas S. Pauli.	xiil.

Horis quartanis quindenus mordet ut anguis.
Nox horarum VI. dies XVIII.



Dapnat.

Dapnat. tredecima Julii vorat hora secunda.

Julius habet dies XXXI. lun. XXX.

XIX	*G*		K.	Julii. Off. S. Johis Bapt. Concede.
VIII	*A*	*V.*	Non.	Processi & Martiniani Martyrum. Sedente Jesu.
	B	*V.*	N.	
XVI	C	*IIII.*	N.	Odalrici epi. Translatio S. Martini e. ut de S. Silvestro sint l. v.
V	D	*III.*	N.	
	E	*II.*	N.	Oct. Apostolor. *Coaris e. f.*
XVIII	F	NON.		Willibaldi. epi. *or.* ut de S. Tiburtio & Val. Attendite a fermento.
II	G	*VIII.*	*Id.*	In Wirhiburch Kylyani. Colonati & Tornani m.
	A	*VII.*	*Id.*	
X	*B*	*VI.*	*Id.*	Septem fratrum filiorum Sancte Felicitatis mar.
	C	*V.*	*Id.*	Translatio S. Benedicti. Deus q. B. Nemo l. a.
XVIII	D	*IIII.*	*Id.*	Hermachore & Fortunati. Videns ihs. turb.
VII	E	*III.*	*Id.*	Heinrici conf.
	F	*II.*	*Id.*	*Dies Caniculares.*
XV	G	*IDUS.*		Reginsvindis innocentis Divisio Apostolorum.
IIII	*A*	*XVII.*	K.	Aug.
	B	*XVI.*	K.	Alexii conf. ut de S. Vitale: Nolite arb.
XII	C	*XV.*	K.	*Sol in Leonem. I D XIIII.*

I	D	XIIII.	K.	
	E	XIII.	K.	
VIIII	F	XII.	K.	Praxedis V. Victoris & soc. ejus. Ut de S. Basid. & Cyr. Descend. ihe.
	G	XI.	K.	Marie Magdalene. Ut de S. Lucia. D.
XVII	A	X.	K.	Christine V. Ut de S. Agatha. sim. e. r. c. d. v. Vig.
	C	VIII.	K.	Jacobi Appost. Xpofori. mar. ut de S. Vincentio.
XIIII	D	VII.	K.	
III	E	VI.	K.	
	F	V.	K.	Pantaleonis mar. Ut de S. Agapito. Si quis vult.
XI	G	IIII.	K.	Felicis. Simplicii. Faustini. & Beatricis mar. Infirmitatem. sint l. v.
IIIX	A	III.	K.	Abdon. & Sennes m. Hoc e. præc. m.
	B	II.	K.	Germani e.

Huius & in nonis decimus quoque sauciat horis. Nox horarum VIII. dies XVI.

Horas

Horas dat primas Auguſtus, datq. Kalendas.

Auguſtus habet dies XXXI. lun. XXVIIII.

VIII	C	*K.*	*A.*	Ad Vincula S. Petri VII. Machabeorum . Euſebii conf.
XVI	D	*IIII.*	N.	Stephani pp. & mar. Ho. quidam.
V	E	*III.*	N.	Inventio S. Stephani prothom. & aliorum.
	F	*II.*	N.	
IIII	G	NONAS.		Osvvaldi regis & mar.
II	*A*	*VIII.*	*Id.*	Sixti pp. & mar. Feliciſſimi & Agapiti. mar.
	B	*VII.*	*Id.*	Donati epi. Affre mar. & aliarum.
X	C	*VI.*	*Id.*	Cyriaci & ſociorum ejus.
	D	*V.*	*Id.*	Romani militis *or.* ut d. S. Theodoro Vig. nolite arbit.
XVIII.	E	*IIII.*	*Id.*	Laurentii levite & mar.
VII	F	*III.*	*Id.*	Tiburtii mar. Nemo lucernam.
	G	*II.*	*Id.*	
XV	*A*	*IDUS.*		Ypoliti m. Attendite a fer.
XII	B	*XVIIII.*	K.	Sep. Euſebii pbri. felicis & fortunati. Vig.
	C	*XVIII.*	K.	Aſſumptio S. Marie V. ⊕ Albertus pbr. & m. S. Galli (alia manu)
XII	D	*XVII.*	K.	Arnulphi epi. ⊕ Rilint. †.
I	E	*XVI.*	K.	Oct. *S.* Laurentii m. Excita d.
	F	*XV.*	K.	Agapiti. m. ſint lumbi v.

Sol in Virginem

Magni

VIIII	G	*XIIII.*	K	Magni m.
	A	*XIII.*	K.	***Bernardi conf. & doctor.*** (alia manu)
XVII	B	*XII.*	K.	
VI	C	*XI.*	K.	Oct. Assumpt. S. Mariæ. Tymotei. & Sinphoriani m. **Auxilium-t. Descendes ihe.**
	D	*X.*	K.	Tymotei . & Apollinaris. m. Vig.
XIIII	E	*VIIII.*	K.	Bartholomei. apost. *Autumnus oritur.*
III	F	*VIII.*	K.	Genesii m.
	G	*VII.*	K.	
XI	*A*	*VI*	K.	Rufi mar. **Homo quidam nob.**
XIX.	B	*V*	K.	Juliani. m. & Pelagii. Hermetis. Augustini. e. Danielis.
	C	*IIII.*	K.	Decollatio S. Johan. Baptistæ. Sabinæ. v. & m.
VIII	D	*III.*	K.	Felicis. & Adaucti Egrediente ihe.
	E	*II.*	K.	Pauli epi.

Ecce secunda dies septenas turbidat horas. Nox horarum X. dies XIIII.

Horis

Horis Septembris perimit lux tertia ternis.
Sept. habet dies XXX. lun. XXX.

XVI	F	*K. Sept.*	Egidii Abbis. Prisci m. Verene. v. (ut de S. Praxede.) Ecce nos reliq.
V	G	*IIII. N.*	
	A	*III. N.*	Antonini m. Ut de S. Saturnino. Nolite arbit.
XIII	B	*II. N.*	
II	C	*NON.*	
	D	*VIII. Id.*	Magni confs. Ut de S. Jo. b. Concede. Nemo lucernam.
X	E	*VII. Id.*	
	F	*VI. Id.*	Nativ. d. genitricis MARIE. Adriani. Corbiniani. Si quis vult.
XVIII	G	*V Id.*	Gorgonii. m. *Cunigundis v.* (alia manu)
VII	*A*	*IIII. Id.*	
	B	*III. Id.*	Preti & Jacincti. Cum psequt. vos.
XV	C	*II. Id.*	✠ Philippus cocus:
IIII	D	*Idus*	
	E	*XVIII. K. Oct.*	Exaltatio S. Crucis. Cornelii & Cypriani.
XII	F	*XVII. K.*	Nicomedis m. si quis vult.
I	G	*XVI. K.*	Eufemie v. & m. Lucie. & Geminiani. Ut de S. Agn.. simile. e. r. c. th.
	A	*XV. K.*	Lamperti epi. & m. Ut de S. Menne. Nihil op. *Sol in Libram*
VIIII.	B	*XIIII. K.*	
	C	*XIII. K.*	Januarii epi. & m. *Eufemie. Dorothee. Tecle. & Erasme* (alia manu)
XVII	D	*XII. K. Vig.*	*Equinoctium. Autum.*

K *VI* E

VI	E	*XI.*	K.	Mathei apli. & ev. ut de S. Clemente.
	F	*X.*	K.	Mauricii & soc. ejus Emmerammi epi. & m. Annue nobis. Videns ihe. t.
XIIII	G	*VIIII.*	K.	Tecle vir.
S. Irmina Francorum Regis Dagoberti filia in Horreensi Monasterio Monaca, & Abbatissa, sanctitate, ac rebus præclare gestis insignis A. D. 707. decessit, ejusque sacrum, ac virgineum corpus amplissimum Weissenburgense Monasterium excepit. De ea plura Trithemius de vir. illust. Ord. S. Benedict. lib. 3. cap. 138. ac Browerus lib. VII. Annal. Trevir. pag. 360. & seq. Consule quoque eumdem Browerum in Notis, & Additamentis ad Tom. I. Annal. Trevir. pag. 609. ubi S. Irminam Dagoberti Regis filiam fuisse contra Valesium multis momenti adprobat.

Omnes Sancti. orate pro nobis.
Propitius esto. libera nos Domine.
Ab omni malo. lib. nos D.
Ab omni morbo. lib. nos D.
Ab omni iniquitate. lib. nos D.
Ab omni immunditia cordis, & corporis. lib. nos D.
A clade, & peste. lib. nos D.
A periculo mortis. lib. nos D.
Per crucem tuam. lib.
Per genitricem tuam. lib.
Per passionem tuam. lib.
Per resurrectionem tuam. lib.
Per ascensionem tuam. lib.
Per magnitudinem adventus tui. lib.
Peccatores te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut sanitatem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut locum penitentiæ nobis dones te rogamus audi nos.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut vitam æternam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut indulgentiam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut remissionem peccatorum nostrorum nobis dones te rogamus audi nos.
Ut spatium ad emendationem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut fontem lacrymarum nobis dones te rogamus audi nos.
Ut mentis constantiam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut omnem gradum ecclesiastici ordinis in sancta religione conservare digneris.
Ut Domnum Apostolicum in sancta religione conservare digneris.
Ut ei vitam, & sanitatem dones te rogamus:

Ut

Ut regem nostrum, & exercitum Christianum conservare digneris.
Ut eis vitam, & sanitatem, atque victoriam dones.
Ut populo Christiano pacem, & unanimitatem largiri digneris.
Ut ei vitam, & sanitatem, atque victoriam dones te rog.
Ut Ecclesiam tuam sublimare dign.
Ut nobis peccatoribus misereri dign.
Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere dign.
Filius Dei te rogamus.



LI.

LITANIÆ BENEDICTINÆ II.

SÆCULI XII.

Kyrye eleyson. Xpe. eleyson. Xpe. audi nos:
Pater de Cælis Deus miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus.
Sancta Maria. ora pro nobis.
Sancta Dei Genetrix. or.
Sancta Virgo Virginum. or.
Sancte Michael. or.
Sancte Gabriel. or.
Sancte Raphael. or.
Omnes Sancti Angeli, & Arcangeli. or.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. or.
Sancte Joannes Baptista. or.
Omnes Sancti Patriarche & Prophete. or.
Sancte PeT.RE. or.
Sancte PauLE. or.
Sancte Andrea. or.
Sancte Jacobe. or.
Sancte Johannes. or.
Sancte Thoma. or.
Sancte Jacobe. or.
Sancte Philippe. or.
Sancte Bartholomee. or.
Sancte Matthee. or.

SANCTE ABRUNCULE. OR.
SANCTE WILIBRORDE. OR.
SANCTE CASTOR. OR.
SAN-

ratur lib. VIII. Hist. Franc. n. 12. pag. 384. In ejus quoque laude Venantius Fortunatus poema panxit. De eo plura Mabillonius Annal. Benedict. ad an. Christi 572., & Browerus Annal. Trevir. lib. VI. pag. 327. Illius Acta proferunt Bollandiani XXV. die Julii. Sexto Ecclesiæ sæculo floruit.

Abrunculus, seu Aprunculus ineunte sexto Christi sæculo Trevirensem moderavit Ecclesiam. Nonnulla, quæ ad illum attinent, a Browero proferuntur Annal. Trev. lib. V. pag. 311. quem consulas velim. Gregorius Turonensis *Vitæ Patrum* Cap. VI. *de S. Gallo Episcopo Arver.* n. 3. pag. 1171. *Tunc etiam*, ait, *& Aprunculus Treverorum Episcopus transiit*: ubi adnotat Ruinartius: *obiit circa* an. 527. *Festum ejus celebratur die* 22. *Aprilis*.

Willibrordus natione Anglus Archiepiscopus Trajectensis, ac Frisonum Apostolus, unde Wandelbertus:

Hic quoque Willibrordus habet quo Principe plebis.
Eresonum (Fresonum) multi Christum sensere vocantem:

exeunte septimo, ac ineunte octavo sæculo floruit, & an. 736. in Monasterio Epternaco, Diœcesis Trevirensis depositus fuit. VII. Idus Novembris Romanum Martyrologium illum recenset. De eo Beda, Molanus, Baronius aliique agunt, quos confer, si lubet.

Prodiit & alter ex Maximini schola Præsbyter insigni morum, & pietatis laude Castor, ejus reliquias in perveteri D. Castoris basilica pone maxi-

SANCTE FLORINE. OR.
SANCTE BEATE. OR.
SANCTE GOAR. OR.
SANCTE BABO. OR.

SAN-

---

mum Altare Confluentes præcipue servant, easque terciodecimo Februarii; qui Divi recolendæ memoriæ anniversarius, offerunt spectandas: sic Browerus Annal. Trev. lib. IV. pag. 236. ubi plura quoque de eo. Floruit ergo quarto Ecclesiæ sæculo, si ex schola S. Maximini Trevir. Antistitis fuit.

S. Florinum Canonicorum S. Florini auctorem, atque institutorem eximia sanctitate clarum nobis exhibent illius vitæ Acta, quæ *Confluentiæ*, ac *Treviris* in antiquis membranis adservantur. Multa identidem profert de isto Browerus Annal. Trev. Lib. II. pag. 504. num. 4. quem consule, si lubet.

Beatum apud Gallos vulgo *S. Bie* quinto Christi sæculo floruisse fertur. Ejus gesta, & acta illustrant Bollandiani VII. Idus Maii.

S. Goar natione Aquitanus presbyter factus in Germaniam secessit in finibus Trevirorum, ac in pago *Trigorio* ad Wocharam fluviolum consedit. Trevirorum Episcopus salutatur, sed honorem repudiat. Obiit A. D. 649. Locus, quo ejus corpus humatum fuit, S. Goaris appellationem nunc quoque retinet vulgo *S. Govvey*. Pridie Nonas Julii a Beda in Martyrologio celebratur. Qui de illo plura expetit adeat Mabillonium, a quo Sæcul. II. Benedict. pag. 275. & seq. illius vita a Wandelberto Monacho descripta exhibetur, nec prætereat Annal. Trevir. Broweri lib. VI. pag. 324. ubi de S. Goare permulta proferuntur.

S. *Babo*, qui etiam *Bubo*, seu *Bobo* vocatur, fuit initio VIII. sæculi *Magnilocensis* Monasterii Abbas. De illo Bollandus Tom. I. pag. 1071. & 1072.

SANCTE ADALBERTE. OR.
SANCTE HEINRICE. OR.
Sancte Silvester. or.
Sancte Gregori. or.
Sancte Leo. or.
Sancte Urbane. or.
Sancte Melchias. or.
Sancte Apollinari. or.
Sancte Hilari. or.
Sancte Martine. or.
Sancte Aniane. or.
Sancte Augustine. or.
Sancte Bricci. or.
Sancte Remigi. or.
Sancte Germane. or.
Sancte Ambrosi. or.
Sancte Savine. or.
Sancte Zeno. or.
Sancte Columbane. or.
Sancte Procule. or.
Sancte Firme. or.
Sancte Benedicte. or.

San-

S. *Adalbertus* ex Monacho Trevirensi Ord. S. Benedicti primum Russorum Apostolus, dein Magdeburgensis Archiepiscopus viscit Decimo Christi sæculo. Confer quæ de isto habent Bollandiani socii Tom. IV. Mensis Junii pag. 30. & Tom. VI. Part. I. in Append. pag. 225.

Decimo Christi sœculo vix adulto Trevirensem S. Henricus rexit Ecclesiam quem eximiis ingenii, ac sapientiæ ornamentis condecoratum nobis exhibet Browerus Annal. Trevir. Lib. IX. pag. 468. At illum quoque sanctitate insignem fuisse nostris ex Litaniis diserte colligimus.

Sancte Faustine. or.
Sancte Antonine. or.
Sancte Paule. or.
Sancte Jeronime. or.
Sancte Flodoalde. or.
Sancte Galle. or.
Sancte Pirmine. or.
Sancte Fridoline: or.
Sancte Crispine. or.
Sancte Crispiniane. or.
Sancte Basili. or.
Sancte Machari or.
Sancte Pachumi. or.
Sancte Rafonuti. or.
Sancte Arseni. or.
Sancte Hilarion. or.
Sancte Equiti. or.
Sancte Antoni. or.
Sancte Libertine. or.
Sancte Projecte. or.
Sancte Donate. or.
Sancte Pancrati. or.
Sancte Rutperte. or.
Sancte Leodhari. or.
Sancte Trophime: or.
Sancte Innocenti. or.
Sancte Pelagi. or.
Sancte Caliste. or.
Sancte Yuunibalde: or.
Sancte Burgharde. or.
Sancte Ruadberte. or.
Sancte Longelle: or.
Sancte Avite. or.
Sancte Bela. or.
Sancte Patrici. or.

San-

Sancte Congalle. or.
Sancte Sisinni. or.
Sancte Sigismunde. or.
Sancte Audome. or.
Sancte Auree. or.
Sancte Justine. or.
Sancte Sperate. or.
Sancte Hylare. or.
Sancte Marine. or.
Sancte Maure. or.
Sancte Calocere. or.
Sancte Chudberte. or.
Omnes Sancti Confessores. or.
Omnes Sancti Monachi. or.
Omnes Sancti Heremitæ. or.
Sancta Felicitas. or.
Sancta Perpetua. or.
Sancta Agathes. or.
Sancta Agnes. or.
Sancta Christina. or.
Sancta Eulalia. or.
Sancta Columba. or.
Sancta Margareta. or.
Sancta Scolastica. or.
Sancta Eufemia. or.
Sancta Justina. or.
Sancta Eugenia. or.
Sancta Lucia. or.
Sancta Cæcilia. or.
Sancta Petronella. or.
Sancta Anastasia. or.
Sancta Tecla. or.
Sancta Sabina. or.
Sancta Sotheris. or.
Sancta Rabaldina. or.

Sancta Susanna. or.
Sancta Prisca. or.
Sancta Pudentiana. or.
Sancta Praxes. or.
Sancta Beatrix. or.
Sancta Vibiana. or.
Sancta Digna. or.
Sancta Emerentiana. or.
Sancta Daria. or.
Sancta Basilla. or.
Sancta Genovefa. or.
Sancta Barbara. or.
Sancta Julitta. or.
Sancta Juliana. or.
Sancta Regina. or.
Sancta Reparata. or.
Sancta Marina. or.
Sancta Restituta. or.
Sancta Emerentiana. or.
Sancta Fusca. or.
Sancta Brigida. or.
Sancta Regula. or.
Sancta Afra. or.
Sancta Verena. or.
Sancta Valeria. or.
Sancta Sophia. or.
Sancta Aldegundis. or.
Sancta Rodegundis. or.
Sancta Monegundis. or.
Sancta Gertrudis. or.
Sancta Pelagia. or.
Sancta Otilia. or.
Sancta Corona. or.
Sancta Sincheta. or.
Sancta Theodata. or.

San-

Sancta Theodola. or.
Sancta Dorothea. or.
Sancta Dometilla. or.
Sancta Crescentia. or.
Sancta Euprepia. or.
Sancta Gaudentia. or.
Sancta Candida. or.
Sancta Victuria. or.
Sancta Simphorosa. or.
Sancta Lucina. or.
Sancta Concordia. or.
Sancta Benedicta. or.
Sancta Vincentia. or.
Sancta Justa. or.
Sancta Martina. or.
Sancta Eufrosina. or.
Sancta Eufragia. or.
Sancta Savina. or.
Sancta *Irmina*. or.
Sancta Modesta. or.
Sancta Uuldepurga. or.

Omnes

S. Irmina Francorum Regis Dagoberti filia in Horreensi Monasterio Monaca, & Abbatissa, sanctitate, ac rebus præclare gestis insignis A. D. 707. decessit, ejusque sacrum, ac virgineum corpus amplissimum Weisenburgense Monasterium excepit. De ea plura Trithemius de vir. Illust. Ord. S. Benedict. lib. 3. cap. 138. ac Browerus lib. VII. Annal. Trevir. pag. 360. & seq. Consule quoque eumdem Browerum in Notis, & Additamentis ad Tom. I. Annal. Trevir. pag. 609. ubi S. Irminam Dagoberti Regis filiam fuisse contra Valesium multis momenti adprobat.

Omnes Sancti. orate pro nobis.
Propitius esto. libera nos Domine.
Ab omni malo. lib. nos D.
Ab omni morbo. lib. nos D.
Ab omni iniquitate. lib. nos D.
Ab omni immunditia cordis, & corporis. lib. nos D.
A clade, & peste. lib. nos D.
A periculo mortis. lib. nos D.
Per crucem tuam. lib.
Per genitricem tuam. lib.
Per passionem tuam. lib.
Per resurrectionem tuam. lib.
Per ascensionem tuam. lib.
Per magnitudinem adventus tui. lib.
Peccatores te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut sanitatem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut locum penitentiæ nobis dones te rogamus audi nos.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut vitam æternam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut indulgentiam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut remissionem peccatorum nostrorum nobis dones te rogamus audi nos.
Ut spatium ad emendationem nobis dones te rogamus audi nos.
Ut fontem lacrymarum nobis dones te rogamus audi nos.
Ut mentis constantiam nobis dones te rogamus audi nos.
Ut omnem gradum ecclesiastici ordinis in sancta religione conservare digneris.
Ut Domnum Apostolicum in sancta religione conservare digneris.
Ut ei vitam, & sanitatem dones te rogamus.

Ut

LITANIÆ
BENEDICTINÆ II.
SÆCULI XII.

KYrye eleyson. Xpe. eleyson. Xpe. audi nos;
Pater de Cælis Deus miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus.
Sancta Maria. ora pro nobis.
Sancta Dei Genetrix. or.
Sancta Virgo Virginum. or.
Sancte Michael. or.
Sancte Gabriel. or.
Sancte Raphael. or.
Omnes Sancti Angeli, & Arcangelī. or.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines. or.
Sancte Joannes Baptista. or.
Omnes Sancti Patriarche & Prophete. or.
Sancte PeT.RE. or.
Sancte PauLE. or.
Sancte Andrea. or.
Sancte Jacobe. or.
Sancte Johannes. or.
Sancte Thoma. or.
Sancte Jacobe. or.
Sancte Philippe. or.
Sancte Bartholomee. or.
Sancte Matthee. or.

Sancte Simon. or.
Sancte Thadee. or.
Sancte Matthia. or.
Sancte Barnaba.
Sancte Marce.
Sancte Luca.
Omnes Sancti Apostoli & Evangelistæ.
Omnes Sancti Discipuli Domini.
Omnes Sancti Innocentes.
Sancte Stephane.
Sancte Line.
Sancte Clete.
Sancte Clemens.
Sancte Sixte.
Sancte Alexander cum sociis tuis.
Sancte Corneli.
Sancte Pie.
Sancte Gorgoni.
Sancte Laurenti.
Sancte Ypolite.
Sancte Georgii.
Sancte Vincenti.
Sancte Agapite.
Sancte Johannes.
Sancte Paule.
Sancte Pancraci.
Sancte Pantaleon.
Sancte Albane.
Sancte Lamberte.
Sancte Blasi.
Sancte Sebastiane.
Sancte *VITE*.
Sancte Crispine.
Sancte Crispiniane.
Sancte Januarj cum Fratribus tuis.

San-

Sancte Kyliane cum sotiis tuis.
Sancte Hermachora cum sotiis tuis.
Sancte Dyonisi cum soc. tuis.
Sancte Maurici cum soc. tuis.
Sancte Gereon cum soc. tuis.
Sancte Bonifaci cum soc. tuis.
Sancte Januari cum soc. tuis.
Sancte Cyriace cum soc. tuis.
Omnes Sancti Martires.
Sancte Silvester.
Sancte Leo.
Sancte Hylari.
Sancte Martine.
Sancte Gregori.
Sancte Ambrosi.
Sancte Augustine.
Sancte Nicollae.
Sancte Jeronime.
Sancte Remigi.
Sancte Germane.
Sancte Odalrice.
Sancte Burcharde.
Sancte Gotehard.
Sancte Benedicte.
Sancte Maure.
Sancte Paule.
Sancte Antoni.
Sancte Eusebi.
Sancte Columbane.
Sancte Galle.
Sancte Othomare.
Sancte Egidi.
Omnes Sancti Confessores.
Omnes Sancti Monachi & hæremitte.
Sancta FELICITAS.

Sancta Maria Magdalena.
Sancta Felicitas.
Sancta Perpetua.
Sancta Petronella.
Sancta Lucia.
Sancta Agatha.
Sancta Cecilia.
Sancta Agnes.
Sancta Anaſtaſia.
Sancta Margareta.
Sancta Afra.
Sancta Beatrix.
Sancta Juliana.
Sancta Barbara.
Sancta Scolaſtica.
Sancta Gertrudis.
Sancta Regniswindis.
Sancta Waltpurgis.
Sancta Radegundis.
Sancta Erindrudis.
Sancta Otilia.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ.
Omnes Sancti Orate pro nobis.
Propitius eſto parce nobis Dom̃e.
Ab inſidiis Diaboli libera nos Dom̃e.
A ſubitanea & improviſa morte lib. nos Dom̃e.
A dapnatione perpetua lib. nos Dom̃e.
Ab imminentibus peccatis n. p. lib. nos Dom̃e.
Ab infeſtationibus Demonum lib. n. D.
A ſpiritu fornicationis lib. n. D.
Ab apetitu inanis gloriæ lib. n. D.
Ab omni immunditia mentis lib. n. D.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate lib. n. D.
Ab immundis cogitationibus lib. n. D.
A cecitate cordis lib. n. D.

A

A fulgure & tempestate lib. n. D.
Per Mysterium Sancte Incarnationis tue lib. n. D.
Per Passionem & Crucem tuam lib. n. D.
Per gloriosam resurectionem tuam lib. n. D.
Per gratiam Sancti Spiritus paracliti lib. n. D.
In hora mortis succurere nobis D.
In die Juditii libera nos Domine.
Peccatores te rogamus audi nos.
Ut pacem, & concordiam nobis do.
Ut misericordiam, & pietas tua nos custodi t. r.
Ut Eclesiam tuam Regere & defendere dig. t. r.
Ut domum Apostolicum & omnem gr. q. t. s. dig.
Ut Regibus & Principibus nostris pacem, & concordiam, atque victoriam do. d. t. r. a.
Ut Episcopos Abbates, & omnes aggrecationes justas comissas in sancta religione conservare dig.
Ut cunctum populum Xtianum pretioso sanguine tuo redemptum conservare dig.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas te rog. aud. nos.
Ut aggrecationes omnium sco. X. in tuo sancto servitio conservare digneris te rog. aud. n.
Ut animas nostras & parentum nostrorum ab eterna dapnatione eripias.
Ut fructus terre dare, & conservare digneris.
Ut oculos misericordie tue sup. nos red.
Ut obsequium servitutis nostre rationabile facias te rogamus audi nos.
Ut gratiam Sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris t. rog. aud. n.
Ut mentes nostras ad celestia desideria.
Ut miserias pauperum captivorum intueri, & revelare dig. t. a.
Ut morbos auferas, famem, mortalitatemq. a nobis repellas t. rog. a. n.

Ut & fidelium tuorum in ſalutis tue proſperitate diſponas t. r. a. nos.
Ut regularibus diſciplinis nos inſtruas.
Ut ad promiſſum gloriæ tuæ premium nos perducas.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem eternam donare dig. t. r. a. n.
Ut noſtri miſereri digneris te rog. aud. nos.
Filij Dei te rog. audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi parce nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi exaudi nos D.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis.
Xpe. Audi nos. Kyrie eleiſon. Xpe. eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Pſm. Deus in adiutorium. Levavi.
Et veniat ſuper nos miſericordia tua.
Eſto nobis Dne. turis fortitudinis.
Domine ſalvos fac Reges; & exaudi nos.
Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas Deus.
Fiat pax in virtute tua & hab.
Oremus pro fidelibus defunctis. Requiem.
Domine exaudi orationem meam & clamor.
Deus.

MARTYROLOGIORUM ; ET CALENDARIORUM

INDEX,

Qui ad Bibliothecam Martyrologicam inſtruendam inſervire poterit.

CALENDARIORUM INDEX.

Ægidius Buccherius ex inclita Societate Jesu in Commentario de doctrina temporum vetus edidit Calendarium, quod descriptum fuisse creditur circa an. Christi 350. Istud ab alijs quoque vulgatum fuit, & præsertim a Francisco Blanchinio immortalis memoriæ viro: Tom. II. Anastasij in Prolegom. pag. IX.

Joannes Mabillonius Tom. III. Analectorum pag. 398. Calendarium vulgavit, quod sæculi Ecclesiæ quinti opus habetur. Ex illius inscriptione ad Chartaginensem Ecclesiam pertinuisse colligitur. Hæc duo Calendaria *Bucherianum* videlicet, & *Mabillonianum* omnibus editis Calendarjis antiquiora videntur docto Ruinartio, a quo ambo ad calcem egregii Operis *Acta sincera Martyrum* rursum edita fuere.

Edmundus Martene Tom. V. Thesauri novi Anecdotorum pag. 64. Calendarium offert ita inscriptum: *Antiquum Kalendarium S. R. E.* Exeunte quarto, vel ineunte sæculo Ecclesiæ quinto ab erudito Editore illud descriptum creditur, cui vero non assentitur vir Cl. Ludovicus Antonius Muratorius, qui in disert. Liturg. Rom. &c. post nonum Ecclesiæ sæculum illud concinnatum fuisse aperte demonstrat. Idem ante Mu-

rato-

ratorium oſtenderat P. Pinius in Tractatu de Liturgia Mozarabica T. 6. Julii præfixa, nec aliter ſentit pereruditus P. Lazerus in deſertatione de Panthei Romani conſecratione.

Joannes Fronto Calendarium Sæculi VIII. opus, ut illi videtur, uberrimis notis adornatum exhibuit, illudque ita inſcripſit. *Kalendarium Romanum vetus admodum ex MS. S. Genovefæ Paris. aureis characteribus exarato*. Prodijt Paris: an. 1652. Leodii an. 1674. Hamburgi an. 1718. ac tandem Veronæ an. 1733.

Polemij Silvij ad Eucherium Epiſcopum Calendarii A. D. 448. exarati ſpecimen dedit Bollandus Praef. ad Tom. I. Act. Sanctor. Januar. V.LIV. dein integrum una cum Calendario Ethnico Fulvii Dionyſii Phlocali edidit Jo: Baptiſta Solerius Tom. VII. Act. Sanctorum Maii.

Cl. Viri Canonicus Mazzochius, & Pater Sabbatinus, nunc Aquilanus Epiſcopus Calendarium Marmoreum nuper Neapoli repertum Sæculo nono, quemadmodum illis videtur, inſculptum, notiſque illuſtratum vulgarunt.

Luchas Dacherius Spicilegij Tom. II. pag. 64. & ſeq. vetus Calendarium exhibet, de quo ſic monet: *Codex Corbejenſis in quo antiqua Canonum collectio continebatur, vetus Kalendarium nobis ſuppeditavit, quod ſcriptum, ſive concinnatum fuiſſe anno MCCCXXVI. pluſquam veroſimile eſt.*

Ab eodem Dacherio Spicilegij Tom. X. antique Edit. pag. 130. Calendarium A. D. 826. ut autumat ille, exaratum profertur, quod ita inſcribitur: *Incipit ordo ſolaris anni cum litteris*

a S.

a S. Hieronymo suppositis ad explanandam septimanam, diem, & lunæ ætatem investigandam in unaquaque die per 19. annos. Hoc loco adnotandum est, istud verum esse Calendarium non purum putum Cyclum, ut nonnullis ex titulo deceptis forte videbitur.

Calendarium sæculi noni, vel circiter, ad usum Canonicorum Basilicæ Sancti Theodori, & Donati extra Lucensem Urbem in lucem emisit Franciscus Maria Florentinius ad calcem sui vetustioris Occidentalis Ecclesiæ Martirologij. Lucæ anno 1668.

Calendarium Romanæ Ecclesiæ nono sæculo exaratum a Leone Allatio editum fuit Romæ anno 1648. in opere de Concord. Oriental. cum Occident. Ecclesia.

Ludovicus Antonius Muratorius immortalis memoriæ vir in præclaro Opere Rer. Ital. Script. Tom. II. Part. I. pag. 216. antiquum Calendarium *Mutinense* in lucem protulit, atque ejusdem Tom. II. Part. II. pag. 1027. & 1037. alia duo Calendaria publici juris fecit, unum inscriptum *Calendarium Bibliothecæ Ambrosianæ*, alterum vero *Sitonianum*, quia depromtum ex codice *Sitonianæ* Bibliothecæ ante septingentos annos exarato.

Dominico Georgio sequentia Calendaria debemus ad calcem Adonis ab ipso edita.

I. Calendarium *Lauresbamense* vocatum, quia nonnulla contineat, quæ Monasterii *Lauresbamensis* propria, & peculiaria perspiciuntur. Sub noni sæculi finem descriptum fuisse creditur.

II.

II. Calendarium Vaticanum ex Codice nimirum Vaticano num. 3806. desumptum. Præfixum legitur hoc Calendarium Gregoriano Sacramentario ab Angelo Roccha inter S. Gregorij Opera anno 1593. Romæ edito, quod vero initio sæculi noni descriptum habetur.

III. Calendarium Palatino-Vaticanum Sacramentario Gregoriano Sæculi XII. præfixum ex Codice Palatino-Vaticano num. 499.

IV. Calendarium Cisterciense ex Codice Ottoboniano Sæculi XIII.

V. Calendarium Mediolanense ex Breviario Ambrosiano descripto ann. 1465. quod sic exorditur: *Incipit Calendarium secundum morem Sancti Ambrosij* Episcopi Mediolani.

VI. Aliud Mediolanense ex eodem Ambrosiano Breviario.

Idem Georgius *Indiculum*, seu *Calendarium* Ecclesiæ Mediolanensis sæculo VIII. exaratum edidit Tom. III. in Liturgia Romani Pontificis p. 227. atque in Appendice Operis *de Cathedra Episcopali Setiæ* Edit. Romæ 1727. antiquum Ecclesiæ Setinæ Calendarium vulgavit.

Calendarium Mutinense editum a V. Cl. Benedicto Bacchino ad calcem libri Pontificalis Agnelli, Mutinae an. 1708.

Michael de Monacho in *Sanctuario Capuano* quatuor antiquissima Calendaria vulgavit, quæ sunt.

I. Calendarium Monasterii Monialium S. Johannis.

II. Calendarium aliud Monasterii Monialium S. Johannis.

III.

III. Calendarium Thesauri Capuani.

IIII. Calendarium aliud Capuanum.

Clarissimus Vir Franciscus Autonius Zaccharias S. J. tria Calendaria Cremonensia edidit, notisque uberrimis adornavit in libro, cui titulus. *Cremonensium Episcoporum series*. In Bibliotheca autem *Pistoriensi*. Taurini edita Pistoriensia duo Kalendaria divulgavit, dum in *Anecdotis medii aevi* ibidem excusis haec:

I. Kalendarium Mantuanum Saeculi XI.

II. Kalendarium Brixianum Saeculi XIII.

III. Kalendarium Vallumbrosanum Saeculi XIV.

IV. Octo menses pervetusti alterius Kalendarii Vallumbrosani Saeculo XII. scripti a Kalendis Maij. 5. fragmentum Kalendarii Lucensis XIV. saeculo exarati. Calendaria sequentia a nobis modo evulgantur.

I. Calendarium Gertrudianum Saeculi X.

II. Calendarium Mosacense I. Saeculi XII.

III. Aliud Mosacense II. Saeculi XII.

IV. Calendarium Sanctae Elisabeth Seculi XIII.

V. Calendarium Aquilejense I. Saeculi XIII.

VI. Calendarium Bononiense Saeculi XIV.

VII. Calendarium Aquilejense II. Saeculi XIV.

VIII. Calendarium Parmense-Aquilejense Saeculi XIV.

IX. Libellus, quo Aquilejensi in Ecclesia Festivitates olim edebantur.

Georgius Hickesius Calendarium Anglosaxonum, sive Anglosaxonis Poetae cum latina versione, & notis edidit. De Germanorum, & Anglosaxonum mensibus plura collegit Jo: Albertus

Fa-

Fabricius in Menologio, seu libello de mensibus edito Hamburgi ann. 1713. vide pag. 136.

Calendarium Ruthenorum evulgavit Antonius Possevinus S. J in Apparatu Sacro. Hujusce specimen quoque exibuit Bollandus Præfat. Gener. ad Abbatem Lætiensem pag XLVII. Duo pervetusta Calendaria Slavonica juxta ritum Ecclesiæ Græco-Moschæ edidit Cl. Præsul Joseph Simonius Assemanus Tom. I. Part. I. Cap 8. Oper., cui titulus *Calendaria Ecclesiæ Universæ*, atque in eodem capite sequentia Calendaria Slavonica jam typis vulgata memorantur.

Kalendarium Sanctorum Slavonicum Ritu Græco-Moscho in Bibliis Ostroviensibus editis anno 1581.

Kalendarium Slavonicum Græco-Moschum in Bibliis Moscuensibus editis anno 1664.

Kalendarium Slavonicum Græco-Moschum in libris novi Testamenti editis an. 1564. 1630. 1702. 1725.

Item Daniel Papebrochius S. J. Presbyter doctissimus Ephemerides Græco-Moschas Tabulis duodecim incisas Tomo primo Maii præmisit, quas eximius Pater Ignatius Kulczynski Ordinis S. Basilii Magni ex Tipographia Hieronymi Maynardi anno 1733 Romæ Ruthenice, ac Latine edidit in Appendice ad specimen Ecclesiæ Ruthenicæ pag. 83.

Syrorum Calendarium debemus Gilberto Genebrardo, cujus editionem suis in Psalmos Commentariis præmisit. Hujus quoque specimen Bollandus offert nuper laudato loco, ubi etiam


Co-

Coptorum Calendarij specimen videre est.

Calendarium *Æthiopicum* profertur a Jobo Ludolfo in Commentario Historiæ Æthiopicæ.

Lucas Waddingus Calendarium *Hierosolymitanum* Publici juris fecit Annal. Minorum Tom. III. ad A. C. 1342. n. 49.

Calendarium Arabico Ægyptiacum ex Arabico latine factum a Gratia Simonio, Collegij Romani Maronitarum alumno, & inde Archiepiscopo Tyrensi in Syria, memorant Acta Sanctorum Tom. I. Junij, pag. 274.



(*)

INDEX
MARTYROLOGIORUM
OCCIDENTALIS ECCLESIÆ.

FRanciſcus Maria Florentinius Nob. Lucenſis anno 1668. Lucæ ex Typographia Hiacynthi Pacij edi curavit antiquiſſimum Martyrologium ita inſcriptum. *Vetuſtius Occidentalis Eccleſiæ Martyrologium D. Hieronymo a Caſſiodoro, Beda, VValfrido, Notkero, aliiſque Scriptoribus tributum, quod nuncupandum eſſe Romanum a Magno Gregorio deſcriptum, ab Adone laudatum proximioribus ſæculis præteritum, & expetitum, non leviora argumenta ſuadent.*

Edmundus Martenius Tom. III. Theſaur. Anedoct. pag. 1547. *Martyrologium exhibet vetus ab annis* 1000. *ſub nomine S. Hieronymi compactum ex M. S. Monaſterii S. Germani Antiſſiodorenſis.*

Ante Florentinium, atque Martenium Lucas Dacherius Tom. IV. Spicilegij antiquæ Edit. pag. 617. *Martyrologium* vulgavit ann. 1661. *Vetuſtiſſimum S. Hieronymi Presbiteri nomine inſignitum*, quod percelebris Vallarius in ſua Divi Hieronymi operum

(*) Dum Indicem hunc Martyrologicum publicam in lucem emitti curamus, eum neque plenum, neque completum eſſe ultro fatemur; eaque de cauſa publice teſtatum illud optamus, nos magnis a Bibliothecis nimium diſſitos hac in re tantum publicæ utilitati ſtuduiſſe, quantum diſtantia iſta permiſit.

perum præclarissima editione etiam inseruit Tom. xi. pag. 475.

Martyrologium S. Hieronymi quale habetur in membranis Epternacensibus a Bollandianis profertur Tom. ii. April. Tab. ii.

Bedæ Martyrologium sese offert in illius Operum Tom. iii. col. 380. Edit. Basileen. sub anno 1563. Sollerius Præfat. in Usuardum cap. i. artic. ii. hoc Martyrologium etiam a Christophoro Plantino Antwerp. ann. 1564. editum fuisse refert. Sed quum hoc ex Adone, & aliis interpolatum esse constet, qua de re vide Bollandi prolegom. ad acta Sanctor. Januarij pag. xl. & seq. iccirco ut istud suæ integritati redderent doctissimi viri Bollandiani, studium, curamque contulerunt, quod dein *genuinum* ab illis Tom. ii. Act. Sanct. Martij exhibitum fuit cum Flori Diaconi Lugd. (circa A. 836.) additamentis distincto litterarum charactere excussis. Verum enim vero hoc quoque ab autographo aliquantulum distare nonnulla, ut fertur, suadere videntur. Insuper istud Bedæ Martyrologium genuinum nuperrime recusum fuit ex nova recensione Johannis Smith subiunctum ejusdem Bedæ historiæ Ecclesiasticæ Anglorum, ann. 1722. *Cantabrigiæ*. Præterea Calendarij potius quam Martyrologij speciem præsefert illud Bedæ Opusculum, quod Martenius veter. Scriptor. amplissim. Collect. Tom. vi. pag. 637. prodit cum hoc titulo: *In Christi nomine incipit Libellus annalis Domini Bedæ* Presbyteri. Aliud sub Bedæ nomine Martyrologium habemus Tom.

x. Dacheriani Spicilegij Antiq. Edit., cujus in titulo sic legitur: *Incipit Martyrologium quod Beda heroico carmine composuit. Metricum hoc Martyrologium*, ibi Dacherius monet, *excripsit noster Joannes Mabillon ex Cenobij S. Remigij Remensis apographo, exarato manu Bertigarii Monachi, Ebbone Archiepiscopo, præfertque Bedæ nomen ac titulum, uti nos exibemus*. In Anastasio Blanchinæ Editionis habemus Bedæ Martyrologium ad Bollandianorum editionem conlatum cum Codice Veronensi pervetusto, de quo vide Cl. Marchionem Maffejum in Bibl. Veronen. MS. ad calcem Historiæ Theologicæ de Gratia pag. 93. Aliud Bedæ Martyrologium, nisi mavis, Kalendarium eruit semper cum laude nominandus P. Zacharias ex antiquissimo Laurentianæ Bibliothecæ Codice, quod XI. sæculo scriptum omnino videtur, ediditque in *Anecdotis medii ævi Classe* V.

Aloysius Lipomanus Patritius Venetus, ac Veronensis Episcopus primus omnium Martyrologium Adonis nono Ecclesiæ Sæculo Viennensis Archiepiscopi magno in Opere de Vitis Sanctorum a se collectis, Tom. IV. post pag. 150. edition. Venetæ, ann. 1554. typis edendum curavit. Post Adonianam Lipomani editionem altera subsecuta est per Jacobum Mosandrum Carthusiani Ordinis apud *Coloniam Agrippinam* alumnum, *Coloniæ Agrippinæ* primum ann. 1581. dein ann 1586. in appendice ad Surium Tom. VII. Tertia ex *Officina Plantiniana* ad calcem Romani Martyrologij *Antwverpiæ* ann. 1613. opera, & studio Heriberti Rosweidi Ultrajectini Societatis Jesu Theologi

logi prodijt. Hæc Rosweidana editio iterum excusa fuit *Parisijs* an. 1645. in folio, & tandem in Bibliotheca Patrum Lugdunensi an. 1677. Tom. XVI. pag. 823. & seq. Quartam demum Adonianam editionem cæteris antehac excusis præstantiorem Romæ an. 1745. nobis exhibuit Dominicus Georgius Rhodiginus Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV. P. M. ab intimo sacello immortalis memoriæ vir. Nuper memoratus P. Zacharias in Bibliotheca Pistoriensi emisit in lucem varias lectiones Pistorienses Adoniani Codicis X. sæculo conscripti cum Rosvveidana editione a se conlata.

Metricum Wandalberti Martyrologium Lucas Dacherius Spicilegij, Tom. V. veter. edit. pag. 305. præmissa ejusdem Wandalberti ad *Otricum* Præfatione, in lucem emisit. Antea vero ab Johanne Molano in sua prima Usuardi editione illud vulgatum fuerat, non junctim tamen, sed in diem Usuardo aptatum, accomodatumque. Legitur quoque hoc Martyrologium sub *Ephemeridis* titulo inter Bedæ opera Tom. V. Wandalbertus fuit Monachus, atque Abbas Prumiensis, & nono Ecclesiæ Sæculo nondum adulto suum concinnavit Martyrologium.

Proferuntur ab Henrico Canisio, Tom. VI. antiq. Section. (vet. edit. an. 1604.) pag. 687. (sed in nova illarum edit. Amst. 1725. Tom. II. Par. II. pag. 314.) *Martyrologium Strabani, ut habet Codex* Ms. *celeberrimi Monasterij S. Galli*, et pag. 739. *Martyrologium Notkeri cognomento Balbuli Monachi S. Balbuli nunc primum ex Bi-*

bliotheca *S. Galli publicatum*. Rabani vero Martyrologium habetur etiam inter illius Opera Tom. VI. pag. 179. Rabanus Maurus primum Monachus, dein Moguntinus Archiepiscopus obijt A. D. 856. Notkerus vero scientia, ac sanctitate insignis Abbas Cænobij S. Galli in Helvetia A. D. 912. diem extremum clausit.

Usuardi Martyrologio, qui nono sæculo Monachus floruit in Sangermanensi Cœnobio, optime consuluit Johannes Baptista Sollerius S. J. Presbyter doctissimus, qui eximia præfatione, ac uberrimis notis exornatum, illustratumque illud prodidit Tom. 6. Part. I. Act. SS. Junij. In nuper laudata Præfatione cap. 3. art. 3. multiplices, quæ de Usuardo sunt habitæ, editiones eruditæ memorat Sollerius. I. videlicet *Lubecæ* an. 1475., in qua Usuardinum Martyrologium *Rudimentum Novitiorum* nuncupatur. II. Ultrajecti an. 1480. in Belgica lingua sub titulo Jacobi de Voragine. III. *Florentiæ* IV. & V. *Coloniæ Agrippinæ*, & *Lubecæ*. an. 1490. VI. & VII. Parisiis an. 1490. & anno 1536. Hasce inter Usuardi editiones Sollerius illas quoque recenset, quæ an. 1498., & an. 1521. a Belino traditæ fuerunt, ubi hoc Martyrologium ita inscriptum habetur: *Martyrologium secundum morem Romanæ Curiæ*. Illud quoque edidit Johannes Molanus Lovaniensis cum suis, atque Hesselij Magistri sui notis, *Lovanij*, an. 1568. ac 1573. & *Antuerpiæ* an. 1583. Eodem an. 1583. Laurentius *de le* Barre in Historia Christiana veterum Patrum istud etiam inseruit. Antea vero, curante Alexandro Peregri-

no

nò Brixiano Presbytero, editum fuerat Venetiis an. videlicet 1509. 1517. & 1599. ac Parisijs 1536. Alia vero Usuardi insignis editio Paris, an. 1718. facta fuit à *Jacobo Bovilart* Presbytero, & Monacho Benedictino ex percelebri Congregatione S. Mauri, qui illud edidit juxta Autographum Usuardi, quod in Sangermanensi Abbatia servari ipse non dubitat. Hac de Bovillarti editione confer Ephemerides eruditorum Paris. an. 1719. pag. 183. & Diarium alterum editum Gallice, quod *Europa erudita* inscribitur an. 1718. Mense Novembri pag. 63. neque prætermittas velim litteraria Commentaria *Trevoltiana* an. 1719. Mense Majo, ubi adversus Bovillarti observationes Sollerius defenditur. Adi etiam ipsius Sollerii vitam in actis Sanctorum. Cum Sollerii editiones contulit P. Zacharias Pistoriensem Usuardi Codicem, variasque lectiones protulit in Bibliotheca Pistoriensi Lib. I. Specimen variarum lectionum ex Usuardi Cremonensis M. S. Codice idem P. Zacharias edidit in suo *Menologio Sanctorum, quorum Reliquiæ in Templo Cremonensi P. P. Societatis Jesu adservantur*, Mediolani 1749. Lectio Usuardini Martyrologij *ad omnes*, ut ait Eminentissimus Lambertinus de Servor. Dei Beatif. & Cano. lib.4. Part.2. Cap.17, pag.110. Edit. Patavin. *fere alias Ecclesias propagata est etiam ad Romanam, excepta tamen Vaticana Basilica, quæ suum quoddam habebat Martyrologium, quod hodie etiam in Archivio Capituli conservatur; ita ut in fine Sæculi decimi quinti passim in Ecclesijs non aliud Martyrologium legeretur quam Usuardi*. Ro-

manam pariter, & Gallicanam, multasque alias Ecclesias per longum tempus usas hoc Usuardi Martyrologio monet Jo: Launojus in Præfat. ad Judicium de controversia super excribendo Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio Paris. 1671. 8. qui pagina 8. etiam Rothomagensem editionem Usuardi an. 1507. factam memorat.

Martyrologium secundum morem Romanæ Curiæ in fine *finit Martyrologium accuratissime emendatum per Magistrum Eelinum de Padua Ordinis Fratrum Æremitarum S. Augustini cum additionibus P. P. aliarum Religionum copiosum effectum, impressum Venetiis arte, & impensis Lucæ Antonij de Giunta Florentini, Anno Incarnationis Domini 1509. IV. Kal. Julias.*

Martyrologium Romanum parvum cum Adone vulgatum ab Heriberto Rosweido S. J. Antwerpiæ 1613. fol. dicatumque Paulo V., & deinde insertum Bibliothecæ Patrum Tom. XVI. edit. Lugdun. quod pro genuino illo, ac sincero Romano veteri non habendum esse probant Valesius Exerc. de hoc Martyrologio ad Eusebij calcem, Andreas Saussajus de Mysticis Galliæ scriptoribus pag. 981., & seq., Florentinius Prolegom. Martyrol. Hieronym. pag. 17. & seq. Illud tamen satis antiquum esse ostendit Jo: Baptista Sollerius Cap. 2. prolegom. ad Usuardum. Iterum cum Adone prodijt hoc Martyrologium Romæ ann. 1745 editum a Dominico Georgio.

Martyrologium Reveren. Domini Francisci Maurolyci Abbatis Messanensis Venetijs apud Juntas 1750. Hoc quoque Martyrologium est ad usum Romanæ

Cu-

Curiæ; ut ait ipſe Maurolycus, qui Marco Antonio Amulio S. R. E. Cardinali illud inſcripſit.

Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus an. 1577 *Mediolani* edidit *Martyrologium S. R. E. uſui in ſingulos anni dies accomodatum* Pontifici Maximo Gregorio XIII. inſcriptum. Inſuper anno 1578. editum fuit *Venetijs* Martyrologium Romanæ Eccleſiæ cum notis *Petri Galeſinij* Protonotarii Apoſtolici.

Romanum Martyrologium vulgatum iterum fuit Romæ an. 1584. de qua editione, ait Baronius Præfat. ad Mart. Rom. cap. 8. *monendum Martyrologij triplicem hactenus in Urbe eſſe factam editionem ejuſque primam, & ſecundam eſſe mendoſam, nec ſatis dignam, quæ iterum prælo tradatur: quod cujus culpa acciderit libentius ſilentio præterimus. Tertia editio purior eſt, atque ſincerior facta anno Domini* 1584. *illi enim tantum ut legitimæ, atque germanæ acceſſerunt Litteræ Apoſtolicæ datæ die* 14. *Januarij eodem* anno, & iterum recuſum fuit, Antwerpiæ 1586.

Martyrologium Romanum ad novam Kalendarij rationem, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem reſtitutum Gregorij XIII. P. M. juſſu editum Venetijs apud Juntas 1585. Ex typographia Dominici Baſæ Romæ 1586. Iterum prodijt Martyrologium Romanum Baronij notationibus exornatum, quam editionem, curante eodem Baronio, altera emendatior, ac Sixto V. P. M. inſcripta excepit Romæ anno 1588. inde an. 1602. Venetijs, & an. 1603. Colon. recuſum. Hujus Martyrologij Ve-

neta editio habetur etiam ſub an. 1587. altera vero an. 1605. apud Hieronymum Polum. Sed cæteris ejuſdem Martyrologii a Baronio reſtituti, atque illuſtrati antea excuſſis editionibus præſtantior evaſit, quæ ex Officina Plantiniana an. 1613. *Antverpiæ*, proceſſit. Iterum recuſum fuit Venetijs an. 1630., & Romæ an. 1632. Urbani VIII. auctoritate recognitum, & cum notis Geographicis, tabuliſque, & indicibus per *Auguſtinum Lubinum* Auguſtinianum Paris. 1661. 1675. 4. & Innocentio XI. Summo Pontifice iterum Romæ an. 1681. *typis Reverendæ Cameræ*. Demum Sanctiſſimus D. N. Benedictus XIV. illud vulgari juſſit Romæ an. 1748. quod præfert hoc titulum: *Martyrologium Romanum Gregorij XIII. juſſu editum, Urbani VIII. & Clementis X. auctoritate recognitum Editio noviſſima a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIV. P. M. aucta, & caſtigata, in qua nonnulla Sanctorum nomina in præteritis editionibus omiſſa ſupplentur, alia item Sanctorum, & Beatorum nomina ex integro adduntur.* In omnes propemodum Europæ linguas verſum Martyrologium Romanum legitur. *Luſitanice*, *O Martirologio Romano traduzido pe lo Padre Alvaro Lobo. Coimbria* 1591. ab Alvaro Lobo, ſeu Lupo S. J. Conimbricæ 1591. *Hiſpanice* a Dionyſio Vaſquez S. J. Valliſoleti 1586. *Gallice* a Franciſco Solerio S. J. Lugd. 1620. 8. & a Philippo Labbeo S. J. Paris. 1644. *Martirologe Romain, nouvelle verſion avec des notes per le P. Mothier Paris* 1705. *Italice* ab Jo: Gabriele Biſciola Rom. 1636. *Germanice* ab Henr. Adriani

ni 1600. Ab Andrea Boyo S. J. 1642., & à Conrado Veter, & Georgio Hefero S. J. Monachij 1670. *Boemice*, a Georgio Fero S. J. *Pragæ Polonice* a Simone Nicorio S. J. *Græce* a Georgio Majer S. J. Neque prætereundæ sunt *Lucæ Holstenij animadversiones* posthumæ ad Baronij Martyrologium editæ Paris. 1664. 4. neque *Francisci Mariæ d' Hastæ Archiepiscopi Hydruntini Disceptationes Chronologico, Geographicæ ad Martyrologium, labor* xxv. *annorum. Beneventi* 1716. fol; neque tandem *Philippi Ferrarj Ticinensis Professoris* nova Topographia in Martyrologium Rom. evulgata *Venetijs* 1609. 4. Præstat etiam ejusdem Ferrarii Catalogus Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, editus Venetijs 1625. 4.

Martirologe universel contenant le texte du Martyrologe Romain traduit en Francois, & deux additions a chaque jour, l'une des Saints de France, l'autre des Saints des autres nations, avec un catalogue des Saints, dont on ne trovue point le Jour. Paris, 1709. (*per Mr. l' Abbe Chatelain, Chanoine honoraire de nostre Dame de Paris*) *duobus Volum.*

Novam Martyrologij Romani editionem adornavit perdoctus Pater Alexander Politus, quam Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. Pontifici Maximo inscripsit. In dedicatoria Epistola ejusdem Martyrologij initia, progressus, editiones, correctiones, atque illustrationes exhibentur. Hunc profert titulum Editio ista:

Martyrologium Romanum Gregorij XIII. jussu

ſu reſtitutum Urban. VIII. Clementis X., & Innocentij XI. auctoritate recenſitum, a Benedicto XIV. Pontifice Maximo auctum, & caſtigatum Alexander Politus de Cl. Reg. Scholarum Piarum Commentarijs ſuis poſt Cæſarem Baronium ad veterum Librorum Hiſtoriæque fidem Pontificio juſſu illuſtravit, & denuo recenſendum, atque caſtigandum Benedicti Papæ XIV. judicio, ac cenſuræ ſubiecit. *Florentiæ*, anno 1751. apud Petrum Cajetanum Vivianum in Folio, pag. 527.

Hanc editionem nondum nobis conſulere licuit; quæ de ipſa protulimus, omnia collegimus a Clariſſimo viro Joanne (e) Lamio, qui ſuis peregregiis Operibus non tam Florentiam Patriam ſuam, quam Italiam mirifice exornat.

Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ pervetuſtum quod per DCC. annos delituit, deſcriptum, & libero commentario illuſtratum a *Matthia Friderico Beckio Auguſtæ* Vindel. 1687. 4. Hoc Baſnagius (Hiſt. des Ouvrages des Scavans an. ejuſdem 1687. pag. 28.) Kalendarium appellari mavult, quam Martyrologium, quum nuda Martyrum nomina contineat

Ibidem nonnulla nec illa levia profert argumenta, ut probet Martyrologium hoc non poſſe ad VII. Seculum referri, ut putavit Beckius.

„ Martyrologium Gellonenſe, ſive Monaſterij
„ S. Guillelmi de deſerto Ordinis Benedictini
„ Diæ-

(e) No. Florent. 3. Decemb. 1751. num. 49. pag. 770.

„ Diœcesis *Lutevensis* pervetustum, ineunte sci-
„ licet sæculo nono anno circiter 804. conscri-
„ ptum ex calce libri Sacramentorum ex Gela-
„ siano, ac Gregoriano compositi ab Albino Al-
„ cuino erutum a Luca Ducherio, atque ab ipso vulgatum Tom. XIII. Spicil. Edit. Venet, pag. 386.

Complura Martenius edidit Monastica Martyrologia Tom. III. Thesau. Anecdot. pag. 1563. videlicet.

1. Antiquum Martyrologium Mossacense ex M. S. Codice Mossacensis Monasterij

2. Pag. 1571. Antiquum Corbejensis Monasterij Martyrologium ex M. S. Corbejensis Monasterij.

3. Pag. 1587. Fragmentum pervetusti Martyrologij Ecclesiæ Turonensis ex M. S. Ecclesiæ Turonensis.

Idem Martenius Veter. Scriptor. amplis. Collect. pag. 637 Antiquum Martyrologium Gallicum ex M. S. D. Chauvelin.

Et pag. 685. Martyrologium insignis Ecclesiæ Antissidiorensis ex M. S. Colbertino.

Dominicus Georgius ad calcem Adonis duo Martyrologia prælo tradidit videlicet.

1. *Martyrologium Fuldense* ex Codice Reginæ Svecorum 441. pag. 46. Sæculi X.

2. *Martyrologium Ottobonianum* ex Codice Bibliothecæ Ottobonianæ circiter Sæculi X. exarato.

Bollandiani quoque præter jam recensita alia complura Martyrologia edidere: Tom. VII. seu Par-

Parte 2. Junij pag. 355. *Martyrologium Rhinovienſe*.

Pag: 359. Martyrologium Rhinovienſe II.

Pag. 369. Martyrologium Auguſtanum.

Pag. 376. Martyrologium Labbeanum.

Pag. 385. Martyrologium Corbejenſe.

pag. 391. Martyrologium Reginæ Sveciæ: Omitto ſpecimina, que ex Martyrologij *S. Maximini apud Treviros*, S. *Cyriaci Romæ*, *&* *Barberiano majori* eodem Tom. VII. pag. 401. proferuntur.

Jo: Molani Indiculus, & natales Sanctorum Belgij cum *Arnoldi Rayſſi* auctario. Ejuſdem Rayſſi hierogazophilacium Belgicum, ſive de Sanctorum reliquijs. Sacrarium, & Calendarium *Leodienſis* an. 1618., *Namurcenſis* an. 1619.

Martyrologium Gallicanum Andreæ *de Sauſſay* Paris. 1637. fol. Vol. 2. Sauſſayo præluſerat Franciſcus *Boſquet Montis Peſulani* Epiſcopus, qui in ſuæ Galliæ Hiſtor. part. 2. nonnulla Galliæ Sanctorum acta edidit.

De Sanctis Lugdunenſibus Theophilus Raynaudus Tom. VIII. Operum Jacobi Branchæ de Vitis Sanctorum Arvernorum, & Velaunorum &c.

Aureum Opus Martyrologium Sanctorum non immerito dictum, quod mortalibus cunctis velut ſpeculum proponitur, in quo, exemplo Sanctorum, quorum geſta ibidem recitantur, vitam ſuam emendare, & corrigere valeant; noviter emendatum, ac ſuper quatuor exemplaribus, quorum tria alias Lugduni, Papiæ, & Pariſijs impreſſa fuerant, reviſum, & correctum, omnibus tam viris Eccleſiaſti-

cis,

cis, quam cæteris Christianis perutile, & necessarium ad usum Ecclesiæ Romanæ, cæterarumque omnium Ecclesiarum per Orbem terræ dispersarum. Qui autem Martyrologium hoc edidit, is fuit Frater N. N. Regularis Observantiæ Ordinis Fratrum Minorum professor; Editum an. M. D VII. Rotomagi.

Philippi Ferrarij Catalogus Sanctorum Italiæ: Mediolani 1613. 4.

Ludovici Jacobilli vitæ Sanctorum Umbriæ, Fulginij, editæ Italice anno 1626. 4.

Martyrologium Brixianum, quod contra Papebrochij obiectiones Propyl. Tom. II. Aprilis pag. XL. & seq. defendit Honorius Stella. Vide Diarium Eruditorum Parmense Italicæ editum an. 1687. pag. 83. & seq., & acta Eruditorum Tom. III. Supplem. pag. 114.

Martyrologium Mediolanense Paull Boscæ &c.

Georgij Cardosi Hagiologium Lusitanum: & Martyrologium *Lusitanum* collectum ab aliquot Jesuitis Conimbricæ.

Martyrologium Cistercienſe Chrysostomi Henriquez Antwerpiæ 1630. fol. de quo Bollandus preaf. ad acta Sanctorum Januarij. c. 4. & 9.,& præf. ad acta Februarij c. 6.

Martyrologium Canonicorum Regularium Constantini Ghinii 1620.

Martyrologium Franciscanum per Arturum de Monstier. Paris. 1638. fol Lucas Wadingus

Martyrologium Ordinis Prædicatorum. Venetijs 1582. & per Seraphinum Siccum Papiensem 1616 Colon. 1620.,& Rom. 1637 4 a Nic. Rodulpho.

Me-

Menologium Jesuiticum edidit 4. in tomos P. Josephus Passignanius S. J.

Calendarium Præmostratense per Jo. Chrysostomum Vandersterre.

Martyrologium Camaldulense a Cl. viro Guidone Grandi collectum.

In calce Martyrologij Romani Jussu Sanctissimi D. N. Benedicti XIV. nuperime editi hæc habentur Martyrologia.

Martyrologium Sanctorum Ordinis Benedict.

Martyrologium Sanctorum Trium Ordinum S. Francisci.

Martyrologium Sanctorum Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Martyrologium ad usum Fratrum, & Monialium Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappucinorum.

Martyrologium Carmelitarum Discalceatorum

Martyrologium Seraphici Ordinis ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium.

Simonis de Peyronet Catalogus Sanctorum, & Sanctarum cum notis, liber postumus editus Tolosæ 1706. 4. Nonnulla omissa ab eo, & male locata Sanctorum nomina notantur in memorijs litterariis Trevoltianis illius anni pag. 1581. & seq.

Claudii Castellani (*Chastelain*) Canonicus Ecclesiæ Parisiensis Hagionomasticum, sive Vocabolarium Hagiologicum, hoc est Index locupletissimus Sanctorum, quorum nomina vulgari usu corrupta feruntur, addita notatione temporis, quo floruerunt, & diei, quo memoria eorum in

Eccle-

Ecclesia recolitur, præfixus extat Egidij Menagij originibus Linguæ Gallicæ Paris 1694. fol. longeque plenior & accuratior est, similibus indicibus, quos dedere Claudius Robertus in Gallia Christiana, & in anno suo Sancto Gallice edito Philippus Labbeus S. J.

Non erit ab re, si hic quoque memoretur *Prudentii peristephanon*, sive de coronis, & Passionibus Martyrum liber; hymnis XIV. costans, *quem librum coronarum* vocat Gregorius Turonensis atque ejusdem Gregorij Turonensis libri duo de gloria Martyrum, & Confessorum Liber 1.

Joannes *Capgravvius* ex ordine Eremit. S. Augustini de Angliæ Sanctis opus edidit Londini an. 1516.

Joannes *Colgan* Hibernus ex Ordine Minorum Hiberniæ Sanctorum Acta collegit ac in quatuor volumina distribuit. 1. Volumen prodijt Lovanii anno 1645. alterum 1648. Num reliqua prodierint, ignoro. Hoc de opere confer Wadding. Bibl. Minorum pag. 199. Acta Sanctorum Hiberniæ edita quoque fuere ab Henrico *Fitz. Simon* S. J. Leodij an. 1619. atque a Thoma *Messinghan* Paris. an. 1624.

Acta Sanctorum Sveciæ, ac Daniæ Joannes *Vastovius* collegit, editque Colon. an. 1623. sub nomine *Septentrionalis Vinea*.

Germaniæ Sanctorum acta a Christophoro *Brouvvers* S. J. collecta prodiere Moguntiæ an. 1616.

Philippi Ferrarii Catalogus Sanctorum Italiæ Mediolani an. 1613. 4. Sed acta Sanctorum complurium Civitatum, & Provinciarum Italiæ etiam

rum singullatim collecta fuere, videlicet Sanctorum *Hetruriæ* a Silvano *Razzi* Camaldulensi an. 1593. Bergomi a M. Antonio *Benal*, & J. Ant. *Garnier* an. 1584. Dein a Mario *Muti* an. 1621. Januæ a Marino *Grimaldi*; Lucæ a Cæsare *Franciotti*; Parmæ ab Antonio Maria *Garofani* an. 1593. *Sardiniæ* a Dionysio *Bonfanti* an. 1635. *Corsicæ* a Salvatore Vitali; *Panormi* a Josepho Spuccio S. J. an. 1658. & totius *Siciliæ* ab Octavio Cajetano S. J., cujus opus postumum in duo volumina distributum an. 1657. editum fuit *Panormi* curante Petro de Salerno ejusdem Societatis Presbytero.

Martyrologium Parisiense edidit an. 1490 Joannes Muneratus Parisiensis Theologus & Regiæ ædis Navarrici Gymnasij concentor, & Ludovico Bellomontano Parisiensi Episcopo nuncupavit, ut ait Laun. Tom. 1. Indic. de Controver. Martyr. pag 47.

Hispaniæ Sanctorum Catalogus a Laurentio *de Padilla* editus Toleti an. 1558.

Martyrologium *Hispanicum* Jo: *Tamaii* Lugd. 1651. Fol. iv. Tom. At nequaquam defuere qui peculiares Sanctorum Catalogus Civitatum, ac Provinciarum *Hispaniæ* adornarint, nimirum *Meridæ* a Thoma Tamajo de Vargas sub nomine Pauli hujusce Civitatis Diaconi; *Galeciæ* a Gregorio *de Lobarinthas*, *Valenciæ* a Michaele Joanne *Vimbodi*, & ab Alfonso *del Castillo Solorzano*; Toleti, & fere totius *Castellæ*, ac *Vandalitiæ* ab Antonio *de Quintanaduetias*: *Cordubæ* a Martino *de Roa*: *Ca-*

ta-

taluniæ ab Antonio Vincentio *Domènecco* Ord. Prædicatorum Barcin. an. 1602.

Georgii *Cardosi* Hagiologium *Lusitanum* editum Ulissip. an. 1652. Hagiologium istud ut primum Volumen habetur Martyrologii *Lusitani*, quod in sex Volumina ordinatum *Cardosus* emittere statuerat. Alterum Volumen prodiit an. 1657. & tertium anno 1666. Reliqua desiderantur.

Basilii Menologium, sed tantummodo sex a Septembri menses a Petro Arcudio latine factum primum exhibuit Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ Tom. VI. Editio Rom. 1659. Sed editio Venetiis 1722. Tom. X. Dein integrum græce, & latine; atque immaginibus ex antiquo Vaticano Codice depromptis adornatum Urbini an. 1727. in lucem emisit Eminentissimus Cardinalis Annibal Albanus, cui inter maximas virtutes litterarum patrocinium in censu Majorum est. Iterum recusum fuit Romæ an. 1729. de qua Albana editione Diarium litteratorum Italiæ Tom. XXX. pag. 63. & seq. Legitur in Præfat. sex hujusce Martyrologii menses ab ejusdem amplissimi Cardinalis Patruo doctissimo Francisco Albano postea sub nomine Clementis XI. Pontifice Summo in latinum versos fuisse; aliis vero, qui inibi adnotantur, reliquum versionis debetur. Non nullos ejusdem Martyrologii menses græce ediderunt Bollandiani, quos consule sub fine Tom. I. mensium Martii, Aprilis, Maii. Præter laudatam Præfat., in qua plura hoc de Menologio enuntiantur, confer eti-

Z am

am Leonem Allatium de Libris Ecclesiasticis Græcorum pag. 83. & seq.

Menologium ab amplissimo Cardinale Sirleto in latinum translatum Henricus Canisius vulgavit Tom. II. *Antiquarum Lectionum*, iterum recusum in illarum nova editione a Samuele Basnagio curata Tom. III. pag. 409.

Ecclesiæ Grecæ Martyrologium Metricum latine factum ab Urbano Godfrido Sibero, atque ab eodem, adiuncto Christophori Mytilenæi menologio, editum *Lipsiæ* an. 1727. 4. Eminentissimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus, a cujus præclaris virtutibus, atque doctissimis Operibus amplissima dignitas mirifice exornatur, Siberum carpit in Epistola ad Reverendiss. D. Renatum L' *Aneau* Superiorem Generalem Congregationis S. Mauri pag. 46. quam adeas velim.

Menea Majora quæ *Menstualia* nuncupantur ab Athanasio Schiada in Catalogo Librorum Græcorum M. SS. in Bibliotecha Synodali Moscuensi in XII. Volumina ordinato edita fuere Venetiis 1596. 1602. 1603. 1607. 1626. de quibus consulenda sunt acta Sanctorum Tom. II. Junii pag. 808. Menses quidem Græcorum Meneorum MSS. occurrunt in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, de quibus Petrus Lambecius Lib. VIII., & in Bibliotheca *Seguieriana*, sive *Coisliniana*, de qua Montfauconius. Hæc ad usum Ecclesiæ CPolitanæ concinnata fuisse admonet Tillemontius Tom. VII Memoriar. Hist. Eccles. pag. 13.

Anthologium Græcorum ex Menais decerptum,

& *a Clemente* VIII. *approbatum*, editumque Romæ 1598. 4. cum præfatione Antonii Arcudii.

Menologium ex Bibliotheca Friderici Lindenbrogii descriptum, quod olim fuerit in usu Ecclesiæ CPolitanæ, laudat Papebrochius Act. Sanctor. Tom. II. Aprilis pag. 67.

Mattheus Raderus S. J. viridarium Sanctorum latinæ versum, ex Meneis atque illustratum octo volumnibus jam an. 1631. absolverat. Sed præter parva specimina illius Operis nihil in lucem prodijt, auctore an. 1634. exeunte iam defuncto Monachii. De inedito illo Raderi Opere confer quæ Papebrochius profert in Actis Sanctorum Tom. II. Aprilis pag. 609. confer etiam Sotwelli Bibliot.) Jesuiticam pag. 596.


Menologium *Maximi Margunii* excerptum ex Menæis, & ab Antonio Pinello lingua Græca vulgari editum Venetijs 1529. 4. Hoc e Græco in latinum vertere cæperat supra laudatus Mattheus Raderus, ut Bollandus admonet Tom. I. Januarii pag. LV.

Menologium Ruthenicum quod Amstelodami a Laurentio Uander Hem accepit Papebrochius, & cum Menologio Græco Metrico præmisit Tom. I. Act. Sanctorum Maii.

Menologium Slavo Russicum editum Moscuæ an. 1679. Idem a Joanne Gabriele Barone de Sparwenfeld versum, ac recusum an. 1688.

Indiculus Martyrum, & Sanctorum Ruthenis propriorum habetur Tom. I. Act. Sanctor. Maii. pag LXIV.

Synaxarium Ruthenorum, Diœcesis Kioviensis latine versum a Georgio Davide S. J. memoratur Tom. V. Junij. pag. CXI., & Tom. IV. Junii pag. 73. Hagiologium metricum Habessinorum recensetur.



I T E R
L I T U R G I C U M
FOROJULIENSE.

CL. VIRO

EMMANUELI DE AZEVEDO

SOCIETATIS JESU

FRIDERICUS ALTHANUS

S. D.

Vix dum Roma paucos ante menses discesseram, in ipso vel itinere, quæ tecum isthic de re litteraria, præcipue verò liturgica contuleram, mente volvebam; cogitabamque maturius animo meo, quæ tanquam semina injeceras, nunquam videlicet satis dignis efferri laudibus immortales illos doctissimosque viros, qui multiplici rerum, ac facultatum ferme omnium peritissimi ad elucidandas res Ecclesiasticas, exornandasque magno studio, improboque labore operam contulerunt. Nimius essem, licentiusque quam par est hic ego vagarer, si seriem, prout mentem meam subibant, tibi narrandam suscipere m aut omnium, aut eorum præsertim, qui a sæculo XVI., vel ad emulanda Historica monumenta, vel ad Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum opera illustranda, vel ad scripta conquirenda animum adiecere. Verum enim vero quoniam is, tantusque mei ardor est animi, quo semper nobilissimam illam Disciplinæ Ecclesiasticæ partem, quæ ad Liturgiam pertinet, sum prosecutus, ut magnam perceperim voluptatem, cum eorum subiret recordatio, qui in his per

quam utilibus studiis magnopere præstitere: pateré quæso, ut iis recensendis iterum delecter. Animo itaque obversabantur Jacobus Pamelius, Melchior Hittorpius, Joannes Mabillonius, Edmundus Martene, Petrus le Brun, Cardinales Bona, ac Thomasius, Antonius Muratorius, aliique quam plures Gaudio tamen meo doloris nonnihil immiscebatur, quod quamquam isti eximii viri liturgicis rebus optime consuluerint, animadvertebam tamen non deesse permultos, qui liturgica monumenta ex tot, tantisque voluminibus ducta, ac in unum collecta in lucem proferri expeterent, unde omnia ad varios Ecclesiæ ritus spectantia sumere possent, & comparare. Sed desii tandem omnino dolere, cum venit in mentem, istorum votis te plane satisfacturum: Id namque spondet tuus ille, quem prælo paras liturgicus Thesaurus, in quo omnia, quæ ad Sacrificium Missæ, ad Psalmodiam, & ad multiplices illorum ritus pertinent ita explanabuntur, ut nihil, quod ad hasce res illustrandas valet, posteritati sit defuturum: Hac autem per quam suavi cogitatione itineris tædia, atque incommoda leniebam. Hinc incepti atque instituti tui tua quidem singulari doctrina, eximiaque eruditione dignissimi tum excellentiam tuam magnitudinem mirabar. Hinc mihi, atque huic Patriæ summopere gratulabar, quod tandem aliquando noster quoque Aquilejensis seu Patriarchinus jam antiquatus ritu ope tua ante omnium oculos, atque ora sit proditurus, quem ad exornandum quum tuo isthic hortatu excitatus fuissem, hinc mihi calcar addisen-

sentiebam, ut symbolam quantulamcumque dare ipse quoque in rem tantam conarer. Quum igitur in Patriam venissem, nihil mihi potius fuit, quam ut antiqua monumenta perquirerem, quibus ille noster pervetustus ritus ab indigna oblivione vindicari queat; ac, ut par est, illustrari. Quamobrem liturgicum iter avidissime arripui, ac pene omnibus hujusce Forojuliensis Patriæ publicis, privatisque archivis consultis; ac perlustratis quamplures codices sum feliciter nactus; quid vero mihi de illis, eorum forma, ac ætate videatur nunc tibi paucis indicabo.

Initium faciam ab Evangeliario, quod in amplissimi Forojuliensis Capituli Tabulario adservatur. Maximæ vetustatis speciem præ se fert Codex iste, qui, rotundo unciali charactere eleganter exaratus, ex hædina tenuissima pelle constat, ac quadratæ figuræ propius accedit, ex qua remotissimæ suæ antiquitatis indicia feliciter auspicatur, ut colligi potest ex Vaticano Codice Versionis LXX. Seniorum, ex Virgilio Mediceo circa Valentis, aut Theodosii tempora scripto, ex Colbertino numeralis notæ 3084. de quo Cl. vir Bernardus Monfauconius ait: (a) *Hoc codice vetustiorem nullum ex iis, qui noti sunt esse opinor; estque forma penitus quadra, ut ex subjecto specimine videbis: paginam quippe integram delineare curavi*, atque ex aliis permultis. Id quoque in usu fuisse apud Hebræos in conscribendis Divinis scripturis tractatus Sophim nos edocet. Moses

(a) Paleograph. lib. 3. Cap. 1. pag. 187.

ses enim Ægyptius hæc scribit: (*a*) *Longitudo libri legis non sit major illius latitudine, neque latitudo major longitudine*. Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus ὁ μακαρίτης in suis antiquorum Diplomatum Vindiciis sexto sæculo hunc exaratum pronunciavit, verum alii non inferioris notæ viri sæculo quinto conscriptum tradunt, quibus ego libentius calculum fero.

In altero, quod remanet ex tegumentis istius codicis argento contextus, exhibetur icon Salvatoris nostri in suggestu sedentis, qui protensa manu dextera, digitisque ad benedictionem latino more dispositis, sinistra librum Evangeliorum gestat, ac in quatuor angulis quatuor Evangelistæ sub illorum symbolis invisuntur. Sacræ hujus tabulæ figuræ ab eruditissimo Præposito Gori singulari dissertatione Claris. viro Josepho Blanchino Congregationis Oratorii Presbytero inscripta illustrantur.

Olim quatuor Evangelia complectebatur, modo Divi Marci Evangelium desideratur, cujus Breves, ac Capitulationes tamen remanent. Interim ut insignis voluminis ordinem teneas, hic summa fide illius sticometriam tibi exhibebo. Orditur ab Epistola Hieronymi ad Damasum Papam;

——————— *papae Damaso*

——————— *vovimus*

In fine hujus Epistolæ: *Explicit Epistola Hieronymi*. sine alio exordio sequuntur Breves S. Mat-

(*a*) Tract. de libro legis Cap. 9.

Matthæi in quorum fine legitur: *Explicit Brevis secundum Mattheum*.

Sic incipiunt Capitula: *Initium Evangelii secundum Mattheum. Natus est Jesus in Bethlem civitatem* &c. finis vero: *Explicuerunt Capitulationes in Manuel amen*. Hinc sequitur Evangelium: *Liber generationis Jhu. Xpisti* &c. Finit: *Explicit Evangelium secundum Mattheum. Incepit secundum Marcum, Brevis secundum Marcum*. In fine: *Explicit Brevis secundum Marcum*: Sequuntur Capitula: *Erat Johannes baptizans Ihm̄ & venit super ihm̄.* &c. In fine: *Explicuerunt Capitulationes secundum Marcum*. Hic inerat Evangelium Divi Marci, quod modo deest, tamen remanet in alio folio: *Explicit Evangelium secundum Marcum. Incipit secundum Lucam*: sequntur Breves. *Zacharias Angelo non credens obmutuit*: *Expliciunt Breves Evangelii Lucæ. Incipit Capitula --- Secundum Luca de initio Evangelii, quod incipit*: *quoniam quidem multi conati sunt* &c. In fine vero: *Evangelium secundum Lucanum explicit. Incipit secundum Johannem*. sequuntur Breves in quorum fine legitur: *Explicit Brevis secundum Johannem. Incipiunt Capitulationes secundum Johannem*: In fine: *Explicuerunt Capitulationes Cata Johannem*: Prosequitur Evangelium: *Initium Sci. Evan. secundum Johannem*: *In principio erat Verbum* &c. In hujus Evangelii fine aliqua folia deperierunt. Animadvertendum est Lucam aliquando nostro in codice inscribi *secundum Lucanum*. Quæ peculiaris inscriptio habetur quoque in insigni-

ſignibus Evangeliariis Vercellenſi, ſeu Euſebiano, Corbejenſi, ac Cæſareo Vindebonenſi omnibus remotiſſima antiquitate præſtantibus. Breves, ac Capitula adnotantur in margine Romanis numeris minio exaratis. Porro nobis exhibet Codex iſte verſionem ſeu Hieronymianam correctionem, quam juſſu Papæ Damaſi Sanctus Doctor ex Græco adornavit. At quum in illo integrales differentiæ non occurrant ullæ a Vulgata noſtra, cui immo quaſi ſemper conſentit, ſi barbariſma illius ætatis propria, atque pauca levia menda potius ex librariorum incuria, quam ab alio fonte dimanantia, exceperis, obiter hic colligere liceat vulgatam noſtram eamdem eſſe quam Hieronymianam correctionem, quicquid contra proferant Heterodoxi. Sed hactenus hæc iſto de inſigni Evangeliario, quum amicus noſter Laurentius a Turre Congregationis Oratorii Utinenſis Presbyter doctiſſimus ſumma illa, qua pollet, eruditione præſertim Eccleſiaſtica ad illud illuſtrandum ſingularem concinnaverit diſſertationem, quæ a Cl. Joſepho Blanchino una cum antiquiſſimo Codice typis vulgabitur. Poſt hucuſque memoratum ſacræ vetuſtatis præclarum monumentum Pſalterium occurrit magnam quoque præſeferens antiquitatem. Decimo enim Chriſti ſæculo illud exaratum fuiſſe aperte demonſtrat, quod nobis præter Pſalmos, ac Litanias ab eodem exhibetur Calendarium. Sed quum Codex iſte ad Aquilejenſem minime ſpectet Eccleſiam, ideoque de illo plura tibi non proferam: ipſumque hic tantumodo memoraſſe ſufficiat.

Aliud

Aliud Evangeliarium, ac Ritualem librum eodem in Archivo Forojuliensi deprehendi. Codices isti ambo membranacei, amboque figuris auro, minioque compactis exornati apparent. Exhibet primum Evangelia, quæ in Dominicis, ac in feriis per annum leguntur. Istud anno 1433. descriptum fuisse tradit scriptura in fine posita, quæ sic ait:

Completum est hoc opus Evangeliorum
Per me Presbyterum Vallerium de Alba
Ecclesia Clericus Cracoviensis Diocesis Vicarius Ecclesiæ S. Mariæ de Curia. Anno.
ab incarnatione Dni. millesimo quadringentesimo tricesimo tertio. J. C.

Sancta Maria de Curia, in qua hic Presbyter *Vicarii* munere fungebatur est Forijulii Parochialis antiquissima Ecclesia, quæ nunc vulgari Italico sermone *Santa Maria di Corte* appellatur, sic videlicet nuncupata, quod non longe distaret a Palatio, quod Callisti dicebant, qui a Cormone Patriarchalem in Forumjulium transferens sedem, ædibus a se excitatis, nomen reliquit. Hac. ce in Ecclesia anno 796. Divum Paulinum Patriarcham suum habuisse Provinciale Concilium non obscure illius acta innuere videntur. Tradit enim illorum præfatio hoc fuisse celebratum Concilium *in Ecclesia beatæ semperque Virginis Dei genetricis Mariæ*. Manifestum est hic non designari Ecclesiam Mariæ Virgini sacram, quæ insigni Canonicorum Collegio decorata modo in urbe principem locum tenet. Nam ex antiquis tabulis a Veneto Ughellii Editore in Patriarcha-

tu

tu Gotofredi vulgatis colligitur non ante annum 1195. istam fuisse constructam. Sed revera neque nunc illa est, quæ ab eisdem tabulis recensetur, sed alia, quam an. 1494. Canonici ædificari curarunt, ut nos edocet vetus documentum a Madrisio editum in Appen. 2. Op. S. Paul. Præterea nihil certi succurrit, quod indicet cæteras alioqui antiquas Mariæ Virginis nomine insignitas Ecclesias scilicet alteram trans Natisonem, alteram vero Sacrarum Virginum Monasterii in Velle tunc temporis extitisse, & si quidem extiterint, verosimile est illam Patriarchalibus ædibus proximam, utpote commodiorem, insigniorem que ad tantum Conventum præ aliis delectam fuisse. Sed hactenus pro re nata dictum sit de hac Ecclesia. Ad propositum redeamus.

In Rituali libro, quem mox laudavimus, Ritus, ac Rubricæ Civitatensis Ecclesiæ habentur. Incipit hoc modo; *Incipit rubrica historiarum, & primo Dominica de Adventu* &c. Sequuntur menses, & post menses sic initium sumit Rubrica; *In Christi nomine Amen. Incipit Rubrica sive ordo per circulum anni secundum consuetudinem Ecclesiæ Civitatis Austriæ ordinata, & ad honorem & laudem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ ac omnium Sanctorum & Sanctarum Dei. In primis quando Nativitas Domini venerit in Dominica, tunc in Dominica prima adventus fit officium semiduplex. Et notandum est quod antequam incipiatur officium semper debetur dicere summissa voce orationem Pater noster, & sic dicitur per totum annum* &c. *In secunda nocte Epiphaniæ*, idest in secun-

secundis Vesperis hæc leguntur; *ad Vesp. fit totum duplex, & nota quod ante inchoationem Vesperorum fit electio Regis in Sancto Johanne Baptista; post electionem vero exeunt, & veniunt ad Chorum cantando In Columbæ specie. Finito, dicat idem Rex Deus in adjutorium antiph. O Admirabile. Finito Capitulo ascendunt cum Rege ante Altare majus* &c. Adnotantur pene in omnibus Feriis Quadragesimæ, Dominicis, Festisque solemnioribus Processiones, de quibus in Rubrica Nativitatis Domini sic habetur: *Notandum est quod in Aurora fit processio ad Monasterium majus Monialium cum cruce, vexillis, cereis, & ministris paratis cantando* &c. Sic Rubricæ ac Ritus, qui tum Dominicis, tum reliquis diebus Festis, ac Feriis erant Civitatensi in Ecclesia observandi, exponuntur ab isto Rituali Codice atque explanantur, quem Characterum forma, aliaque minime obscura signa exeunte seculo decimo quarto descriptum indicant.

Porro animadversione dignum est nomen Civitatis Austriæ, quo isto in Codice Forumjulium designatur. Neminem latet hanc nobilissimam, atque pervetustam Civitatem, olim insignem Romanam Coloniam Tribui Scaptiæ adscriptam, multiplici nomine variis temporibus fuisse donatam. Ptolomeus, Cassiodorus, atque Anonymus Ravennas illam Forum Julium appellant. Apud Paulum Diaconum occurrit Civitas Forojuliana, Oppidum Forijulii, Castrum Forojuliense. Paulinus Patriarcha Forumjulium Municipium illam nominat. Ineunte vero undecimo

sa-

fæculo Civitas Auftria, & Civitas fine adiecto dicta fuit per excellentiam, ut ait Cluverius, tanquam regionis caput. Hinc illa Cividati, & Civitati vernacule *Cividat* nomen invenit. Cur vero dicta fuit Civitas Auftria confule non Candidum, vel Palladium, qui fabellas decantant, fed Fontaninum in vita Cl. viri Philippi a Turre Adrienfis Epifcopi, & in Epiftolari Differtatione *delle Mafnade*, ac Patrem de Rubeis, cujus verba hic defcribere placet: *Quænam ergo fuerit ejus appellationis, five Civitatis Auftriæ caufa, & origo? Non fatis patet. Notum quidem compertumque vocem Auftriæ compofitam effe ex duobus Theotifcis vocabulis Oft fcilicet, quod Ortum, feu Orientem fignificat, & Rithi, quod regnum, feu regionem notat: adeoque Auftriæ nomine regionem Orientalem innui. Arbitror ego Sede Patriarchali Poponis opera Aquilejam translata, nuncupare Auftriam Patriarchas natione Germanos ac Theotifcos cœpiffe locum illum ratione fitus, quem habita reliquæ Provinciæ ratione obtinet, nimirum ad Orientem vergentis: unde vel Civitas Auftria dicta eft, fcilicet Orientalis, vel Civitas Auftriæ, hoc eft regionis Orientalis.*

Sed longius quam par eft ab epiftolæ modo recederem, fi de cunctis Liturgicis libris Forojulienfis Archivi, qui omnes præter memoratos poft Decimum Chrifti fæculum exarati fuere, modo tibi partite verba facere vellem. Verum enim vero non eft hic pofthabendus alius Ritualis Codex, quem licet fæculo decimo tertio illius characteres concinnatum prodant, tamen

ex

ex alio antiquiori illum transcriptum fuisse haud obscure indicat, quæ de Lupone, seu Lupo Aquilejensi Patriarcha velut vitam adhuc agente in illo habetur mentio. Duo Lupi, alter videlicet nono, alter vero decimo Christi sæculo Aquilejensi præfuerunt Ecclesiæ. Ad hæc igitur tempora illius Ritualis libri, ex quo noster depromtus fuit, initia sunt referenda. Sed non modo a singulari vetustate, verum etiam ab illis, quas profert, rebus, idem summopere commendatur. Ex illo enim deprehendimus quibus diebus, & qua metodo, ac forma Aquilejensi in Ecclesia scrutinia, videlicet Catechumenorum, seu Competentium institutiones haberentur: de quibus præter alias ista etiam legitur Rubrica: *Iterum annunciat presbyter qua die voluerit ita dicendo. Feria illa venite. Colligite vos ad Ecclesiam. Venientes autem ad Ecclesiam die quo eis fuit nuntiatum, faciunt ipsum scrutinium sicut superius habetur. Hoc expleto iterum annuntiat presbyter diem in sequenti Ebdomada, ut revertantur ad scrutinium quartum. Et postea annuntiat presbyter sicut superius, & faciunt sicut supra habetur. Et veniunt ad scrutinium quintum. Hoc expleto annuntiat presbitdr sicut supra ut revertantur ad scrutinium sextum. Iterum annuntiat presbyter ut in Sabbato illo ante Dominicam palmarum veniant ad scrutinium septimum in aurium aperitione. quoniam ita agendum est, ut a primo scrutinio, qui incipit tertia hebdomada in quadragesima usque in sabbato ante palmas septem dona Spiritus Sancti in eis compleantur. & septenario numero impleantur: dabiturque illis gratiam*

A a septi-

septiformis Spiritus Sancti. Deinde sequitur: *Sabbato ante palmas Introitus*, quo completo hæc habentur: *Et tum leguntur duæ lectiones in aurium aperitione*: una videlicet Isaiæ Prophetæ altera Apostoli post quas hæ sequuntur rubricæ: *Inde vero procedunt quatuor diaconi de sacrario cum quatuor libris Evangeliorum: præcedentibus eis duabus candelabris cum thuribulis, & incensis. & ponunt ipsa evangelia in quatuor angulorum altaris. & antequam aliquis eos legat tractet presbyter his verbis in modum lectionis*. Completa vero Evangeliorum, Symboli, atque Orationis Dominicæ explanatione hæc ante Offertorium leguntur verba: *His dictis annuntiat Sacerdos cum Diacono dicens. Si quis Arianus est secedat*. ℟ *Chorus Nec quis Arianus est. Item Sacerdos. Si quis Nestorianus est secedat*. ℟ *Nec quis Nestorianus est. Si quis Theodocianus est secedat*. ℟ *nec quis Theodocianus est. Si quis Macedonianus est secedat*. ℟ *nec quis Macedonianus est. Si quis Pelajanus est secedat*. ℟. *nec quis Pelajanus est. Si quis Priscillianus est secedat*. ℟ *nec quis Priscillianus est. Si quis Euticianus (Eutichianus) est secedat*. ℟ *nec quis Euticianus est. Si quis Fotinianus est secedat*. ℟ *nec quis Fotinianus est. Si quis hæreticus est secedat*. ℟ *nec quis hæreticus est* - - - - - - - - - - *Item Diaconus dicat. Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est recedat. Omnes catechumeni exeant foras. Egressi vero parentes cum infantibus suis foris relinquent ipsos infantes cum custodibus. & iterum ingrediuntur Ecclesiam tam parentes, quam & illi qui ipsos infantes suscepturi sunt cum oblationibus*

eorum

eorum, & offerant pro ipsis. Hinc novis comprobantur momentis, quæ de Catechumenorum oblationibus ex Mabillonio, atque ex Clericato egregie proferuntur a Cl. viro Francisco Berlendi in pererudito Opere, cui titulus *Delle Oblazioni all'Altare* Parag. 3. pag. 42. Edit. Secun; Hinc etiam quæ Catechumenorum, quæ fuerint Fidelium Missæ colligitur. At hisce de rebus passim agunt Philologi sacri, nec est cur sæpius ab aliis prolata retexam. Neque cur de isto Rituali Codice plura congeram.

Permultæ vetustissimæ chartæ, atque complures antiqui Codices ab eodem Tabulario identidem exhibentur, qui licet ad liturgicos ritus minime spectent, nihilominus nonnullos ex illis hoc loco recensere tibi, qui his monumentis tantopere gaudes, ac delectaris, pergratum fore confido. Adservantur igitur *Historia Ecclesiastica* (Eusebii) *translata a Rufino, atque ipsius Rufini ad eamdem additi libri duo*. *Historia Persecutionis Africanæ provinciæ scribente Sancto Victore* Episcopo.

Liber illustrium Virorum a S. Hieronymo expositus.

Hinc sequuntur quos Gennadius subrogavit.

Chronicon S. Isydori Episcopi.

Nomina Romanorum Regum scilicet ab Octaviano ad Theodosium.

Fragmentum Lactantii Divinarum Institutionum.

Vita S. Martini a Severo Sulpitio descripta, ac nonnullæ ejusdem Scriptoris Epistolæ.

Complura vetera Passionaria. A Dominico Georgio preclaræ memoriæ viro sæpe hæc memorantur Passionaria in notationibus, quibus ipse Adonis Martyrologium exornavit.

Sacra Scriptura in plures Tomos dispofita, aliique, de quorum ætate si quæras, omnes decimo, ac fortasse etiam undecimo posterioribus sæculis conscriptos fuisse arbitror. Sed priusquam ab insigni Tabulario, atque ab Ecclesia Forojuliensi discedamus, temperare non possum, quin saltem specimen vetustissimorum rituum, qui in illa adhuc vigent, tibi in medium proferam, quod vero statim excipe. Sacratissimo Epiphaniarum die, dum Missarum solemnia agenda sunt, Diaconus galea indutus, ac in dextera gladium evaginatum, in sinistra vero manu pervetustum Evangeliorum codicem gestans e Sacrario Altare versus procedit, ad quod quum pervenerit, ante Missæ initium, hæc omnia ponit: illa vero iterum sumit, quum ad Ambonem Evangelii canendi causa progreditur, ubi galea, gladioque rursus positis, illud antiqua, ac illius diei peculiari modulatione cantat, Mobiliaque Festa indicit: inde galea gladioque sumtis ad Altare redit, iterumque res illas deponit, quæ ab illo tandem resumuntur, dum solemniter canit *Ite Missa est* atque ita indutus ad sacrarium revertitur Aliud quoque est hac in Missa animadvertendum quod videlicet epistola a quatuor Clericis medio in Choro consistentibus, ac *Pluvialibus* indutis satis peculiari cantu pronunciatur.

Die secunda Februarii Sanctissimæ Virgini in

Tem-

Templo Purificatæ sacra, Candelarum distributione peracta, Metropolitarum Aquilejensium nomina a Canonico Archidiacono coram populo alta voce quotannis recitantur; quem morem olim in Aquilejensi Ecclesia etiam obtinuisse ejusdem Ecclesiæ Rituales mss. Codices indicant, quemadmodum admonet Pater (*a*) de Rubeis, qui pervetustum eorumdem nominum (*b*) Catalogum typis vulgavit. Idem Catalogus, qui Dyptichorum speciem præsefert, a Divo Marco exorditus his verbis: *Primus Patriarcha prædicator extitit Aquilejæ B. Marcus Evangelista*. En tibi, vir eruditissime, consuetudo ex remotissima Ecclesiastica antiquitate sane traducta. A primis enim Ecclesiæ sæculis, ut tibi optime constat, Præsulum nomina tabellis inscripta, & in Archivis, scriniisque diligenter servata inter Missarum solemnia recitabantur: qui quidem mos quamquam in aliis Ecclesiis omnino in desuetudinem abierit, Civitatensi tamen in Ecclesia saltem semel quotannis raro, constantique exemplo etiamnum servatur.

Feriis quarta, quinta, & sexta Majoris Hebdomadæ, recitato ad Vesperas Psalmo *Magnificat* egreditur Capitulum cum reliquo Clero ab Ecclesia, quam dum circumeunt, *sequentia* canitur *Vexilla Regis prodeunt*. Quod tamen singulare est, ante Crucem Capitularem procedit Clericus longam gestans arundinem, super qua tres

(*a*) Monum. Eccle. Aquil. cap. I. pag. 4. num. 2.
(*b*) In Appendic. ad Monum. Eccl. Aquil. num. I.

funt Candelæ accenfæ, ideft *Triangulum* illi prorfus fimile, quod Sabbato Sancto folemniter benedicitur. Inde reverfi in Ecclefiam Canonici non Chorum, fed Sacellum, feu Capellam, ubi Sacramentum adfervatur, petunt: id autem feria quarta tantummodo faciunt; nam duabus reliquis feriis ad fepulcrum contendunt, ibique Pfalmus *Miferere* ab eifdem cantatur.

Tribus vero Pafchatis folemniffimis Feftis diebus, expletis Vefpertinis horis, a Capitulo circum Ecclefiam *Proceffio* inftituitur, quæ quum ad Baptifterium pervenerit Antifona canitur. *Quemadmodum defiderat Cervus ad fontes aquarum* &c. inde ad fepulcrum progreditur, quod illis quoque diebus data opera adfervatur, fed fine facramento, imo oftiolum reclufum exhibens, ubi quædam peculiares Antifonæ peculiari quidem modo cantantur. Hæ ita incipiunt: *Venite, & videte locum, ubi pofitus erat Dominus* &c. Quibus expletis, redit ad Chorum. Sed fatis superque de Archivo, atque Ecclefia Forojulienfi, ejufdemque ritibus differuimus; reliqua perfequamur.

Quampluribus manuexaratis Codicibus ad noftrum ritum fpectantibus, Vir eruditiffime, inftructum effe comperimus ampliffimi Aquilejenfis Capituli Archivum, quod haud diligenter luftrare, ut in votis erat, fed tantum a limine falutare licuit. Quantum tamen animadvertere potui, Antiphonarii, Graduales, Lectionarii, Proceffionarii, Pontificales, Miffales, aliique ejufdem generis libri poft undecimum fæculum fe-

re

re omnes descripti comparent. Verum inter istos sese mirifice extollunt elegantissimum Omiliarium in folio magno anno 1295. conscriptum, ut ex scriptura, quam habet in calce, colligitur, ac ejusdem fere ætatis Libri veteris, ac novi Testamenti in sex Voluminibus in magno folio dispositi characterum elegantia, ac pulcritudine insignes. Illorum lectio Vulgatæ nostræ omnino non assentitur, ac præsertim in novo Testamento ab illa haud parum dissentit. Variantes lectiones, aliaque scitu dignissima, quæ hi elegantes Codices tradunt, tibi brevi forsan tempore dabimus. Sed istis, omnibusque hujusce Archivi manuscriptis antiquitate præstant duo satis elegantes Codices, quorum alter Evangeliarium *de Circulo anni*, alter vero Sacramentarium Gregorianum exhibet. Primus est oblongæ, alter vero quadratæ figuræ, ambo ex hædina pelle compacti, singulari elegantia descripti, auro, minioque illiti, atque exornati videntur. Quamquam illorum ætatem scriptura prodat nulla, tamen characterum forma exeunte octavo, vel nono sæculo ineunte conscriptos fuisse demonstrat. Ex formulis Sacramenti fidelitatis, quæ in Calce Evangeliarii conspiciuntur, colligere licet istud illud esse, quod Contributis, sive ut vocant, *suffraganeis* Episcopis adjurantibus exhibebatur, coramve proponebatur. Has formulas, quanquam eruditus Joannes Franciscus Madrisius Congregationis Oratorii Utinensis Presbyter in appendice 2. Oper. S. Paul. ediderit, tamen hic denuo proferre juvat.

I. Polliceor atque promitto Ego Marcianus Sanctæ Mantuanæ Ecclesiæ futurus Episcopus me fidelem, & obedientem esse Sanctæ Aquilegiensi Ecclesiæ, & tibi Domno Heverardo Patriarchæ tuisque successoribus, secundum ordinem meum, salva fidelitate Heinrici Regis, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.

II. Polliceor, atque promitto egò Artulfus Vicentinæ Ecclesiæ futurus Episcopus fidelem, & obedientem esse Sanctæ Aquilegensi Ecclesiæ, & tibi Domno Popponi patriarchæ tuisque successoribus secundum ordinem meum, salva fidelitate Cuhonradi Imperatoris, filiique ejus Einrici, si me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.

III. Polliceor, atque promitto ego Joannes Sanctæ Pollensis Ecclesiæ futurus Episcopus me fidelem, & obedientem esse Sanctæ Aquilegensi Ecclesiæ, & tibi Domno, Popponi patriarchæ, tuisque successoribus secundum ordinem meum salva fidelitate Cuhonradi Imperatoris, filiique ejus Henynrici, si me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.

IV. Polliceor, atque promitto ego Rudbertus Sanctæ Concordiensis Ecclesiæ futurus Episcopus me fidelem, atque obedientem esse Sanctæ Aquilegensi Ecclesiæ, & tibi Domno Popponi patriarchæ, tuisque successoribus secundum ordinem meum, salva fidelitate Cuhonradi Imperatoris, filiique ejus Heinrici, si me Deus adjuvet, & hæc sancta quatuor Evangelia.

Quum vero Character unius ab alterius formulæ

mülæ charactere dissentiat, credere par est; quamlibet exaratam esse manu ejus, qui fidelitatis sacramentum emittebat, Episcopi. Prima refertur ad annum 1045. quo Mantuanam sedem conscendisse Martianum narrat Ughellus, altera vero ad an. 1024. tertia denique, ac quarta ad an. 1027. pertinent mox laudati Madrisii calculis, quibus equidem subscribo.

In alio Evangeliario de circulo anni tertio decimo sæculo descripto Calendarium, vel quid simile non inferioris ætatis occurrit, in quo permulta animadversione digna sublucent. Brevitati studentes hic pauca dabimus, quum tum istud, tum alia vetusta Calendaria Aquilejensia, quæ penes nos sunt, typis vulgandi in animo sit. In isto omnes fere Sanctorum Dies festi Dominico die adnotantur. En quo modo adsignentur.

== Crastina die tertia feria, quarta feria, quin- == ta feria, sexta feria, Sabbato venturo Domi- == nica ventura festivitas erit Omnium Sancto- == rum, omnes ab opere abstinentes devotissi- == me celebremus.

== Crastina die tertia feria, quarta feria, == quinta feria sexta feria, Sabbato venturo Do- == minica ventura. Comemoratio erit omnium == fidelium defunctorum: omnes elimosinis, & == orationibus vacantes ad Ecclesiam conveniamus.

== Crastina die tertia feria, quarta feria, == quinta feria, sexta feria, Sabbato venturo == Dominica ventura. Festivitas erit Beati Leo- == nardi Confessoris Christi: omnes ab opere == abstinentes devotissime celebremus.

In

In Epiphania sic cum cantu indicuntur dies Resurrectionis, & Quadragesimæ initium.

= Plebs sancta Deo deserviens hoc cupit au-
= dire quod & videre desiderat. Ergo sicut ga-
= visi sumus de Nativitate Dni. Nri. J. C. ita
= & de resurrectione ejus annuntiamus vobis
= universale gaudium. Quapropter fratres caris-
= simi annuntiamus vobis diem sanctum, &
= sanctissimum Paschæ sexto die intrante men-
= se Aprili. Initium vero Quadragesimæ deci-
= mo nono die exeunte mense februario. Sit
= pax & gratia Dni. Nostri Jesu Christi cum
= omnibus vobis.

Hæc quidem cum cantu habentur in Circun-
= cisione Domini = Celebraturi sumus diem
= sanctum, & sanctissimum, in quo Dominus
= Noster Jesus Christus maternis manibus in
= templo præsentari dignatus est: susceptus a
= Simeone timente Deum; quapropter omnes
= cum summa reverentia, & amore cordis, ac-
= census luminariis devotissime celebremus.

Hæc vero de Aquilejensi Archivo, ejusdemque Codicibus satis dicta sint.

Porro nobis hic minime prætereundum est Missale, quo potiuntur Dynastæ Zoppolenses, qui mecum illud humanissime communicarunt. Isto utebatur illorum gentilis Antonius Panciera Cardinalis, ac Patriarcha Aquilejensis. Codex iste est membranaceus, ac decimo quarto sæculo exaratus apparet. Idem ordo, methodus eadem in illo, ut in nostris Missalibus pene conspicitur, a quibus in Canone nihil *essentialiter* differt.

Mul-

Multiplices secundum tempora in Patriarchino ritu, ut etiam in Ambrosiano inerant in Missa benedicendi formæ. Accipe communem, quæ a Missali nostro profertur: *In unitate Sancti Spiritus benedicant vos Pater, & Filius*: R. *Amen*. Legitur postea hæc rubrica: *Et benedicto populo, secrete dicat hanc orationem*: *Placeat tibi Sancta Trinitas* &c. Sic Missæ finis imponebatur. Optime noris, vir sapientissime, etiam Romano in ritu Missas olim ita compleri. Pio V. enim summo Pontifice, ut omnibus notum, compertumque est, evangelium Joannis in fine Missarum legendi usus solummodo invaluit, qui tamen apud Carthusianos non viget, dum nostris quoque temporibus eorum Missæ in benedictione complentur. Vetus Missale Aquilejense item possidet Joannes Lanthieri S. R. I. Comes de Reifenberg ineunte quinto decimo sæculo descriptum. Ejusdem ætatis tum Missale, cum integrum Breviarium penes semper cum laude nominandum Patrem de Rubeis sunt, consuetudinibus Ecclesiæ Civitatis Forijulii accomodata.

Inter plurima, ac perrara manuscripta celebris Guarnerianæ Bibliothecæ, quæ in oppido S. Danielis in Bibliotecha Fontaniniana modo adservantur, Codicum ad Aquilejensem ritum spectantium magna exstat suppellex. Psalteria, Antiphonaria, Lectionaria, aliaque ejusdem generis manuscripta illinc invisuntur sed quamplurima ἀκέφαλα, ac mutila, atque non magna antiquitate præstantia; nam post duodecimum sæculum pene omnia conscripta videntur. Hic tibi

inscri-

inscriptionem adferimus ab Archiepiscopo Fontanino concinnatam, in marmore sculptam, ac hujusce Bibliothecæ externis muris adplicitam; quam tibi pergratam fere confidimus, quum non levis ab illa de Guarnero immortalis memoriæ viro, deque illius Bibliothecæ institutione notitia prodatur. Hæc sic habet:

Quam. Bibliothecam.
Trecentis. Ab. Hinc. Annis.
Guarnerus. De. Artenea.
Hujus. Ædis. Sancti. Michaelis. Antistes.
Et. Canonicus. Aquilejensis.
Sacra. Vice. Cum. Gemina. Potestate.
Functus.
Sub. Ludovico. Mediarota.
S. R. E. Cardinali. Et. Patriarcha.
Aquilejensi. Paraverat.
Hanc. Justus. Fontaninus. Olim.
In. Eodem. Sacerdotio. Succesor.
Archiepiscopus. Ancyranus.
Praelatus. Domesticus.
Et. Abbreviator. Sacri. Palatj.
Bono. Patriae.
De. Suo. Auxit. Anno. Salutis.
MDCCXXXVI.

In aliis vero tabulariis alios nactus sum codices, quos tamen vel nulla vel satis exigua commendat antiquitas. Iccirco supervacaneum foret hic tibi de omnibus sermonem instituere. Missum tamen facere nolo, quod mihi præsertim ex laudatis psalteriis colligere licuit, Metropolitana scilicet in Aquilejensi Ecclesia Gallicanum obti-

nuisse

nuisse Psalterium, illud videlicet, quod post correctionem Psalterii jussu Damasi Papæ concinnatam, quæ Romanum psalterium vocatur, quæque Romæ, ac Venetiis in Basilicis Vaticana, ac Divi Marci nunc quoque canitur, secundis curis, adnitentibus præsertim Paula, & Eustochio sanctissimis fœminis Divus Hieronymus ad Origenianum exemplum Τῶν LXX restituit, atque correctum dedit.

Hæc ego scribere habui, Vir ornatissime, de Codicibus, quos ad Patriarchinum ritum spectantes in Forojuliensibus Tabulariis adservari deprehendi. Ex istis non aliter, quam ex editis codicibus, qui de ritu Aquilejensi adhuc supersunt, satis dilucide colligitur, hunc ritum re, ac substantia a Romano non diferre. Id quoque adnotavit doctissimus Pater de Rubeis in eleganti opere Monum. Eccles. Aquilejen. ubi hoc de ritu erudite de more suo edisserit. Utini, ut mox laudatus Aquilejensis ritus editos codices indicem tibi, ab Agricola ejusdem Civitatis Patritio Missale adservatur typis editum anno M. D. XIX. die XV. Septembris. Venetiis ex Officina litteraria Gregorii de Gregoriis. Aliud possidet laudatus Pater de Rubeis; quod inscribitur: *Missale Aquilejensis Ecclesiæ cum omnibus requisitis, atque figuris nuper quam emendatissime perlustratum* anno M. D. XVII. die V. Augusti. Venetiis ex Officina litteraria Petri Liechtenstein. Vetus item Aquilejense Breviarium editum anno M. CCCC. XCVI. per Andream Torrisanum de Asula S. Danielis in memorata Guarnero-Fontaninlana Bibliotheca invisitur.

Quamquam igitur ritus noster Romano permultum adhæsisset, tamen inerant quamplurima, quæ

ab

ab illo dissentiebant, quæque nostra in Aquilejensi Ecclesia viguere usque ad annum 1596. quo a Provinciali Synodo Aquilejensi, Francisco Barbaro Patriarcha, habito, penitus ablatæ fuerunt. At partem Congregationis II. quæ in ejusdem Concilii mss. Actis dicitur secreta hoc loco tibi proferre liceat. Verba sunt: *Decernimus ut in tota Aquilejensi Provincia, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuscunque tam publice, quam privatim, imposterum Horæ Canonicæ ex Breviario Romano sub Pio V. edito recitentur: ac declaramus, recitantes obligationi recitandi horas Canonicas minime satisfacere, nisi de Breviario Romano illas racitarint. Quod item decernimus in Missali, Rituali Sacramentorum, & in aliis observandum.* Sed hactenus hæc ne intemperanter abutar otio, & patientia tua, nimium enim crevit epistola.

Habes igitur hic, Vir Clarissime, insigniora Patriarchini ritus monumenta, quæ si consulere, vel conferre opus fuerit, tibi persuadeas velim, me hunc laborem libentissime fore subiturum. Tu interim vale, insigne opus inceptum prosequere, ac ut facis amice, me amare perge. Doctissimis, nobisque amicissimis viris Josepho Blanchinio, ac Petro Lazzero meo nomine salutem plurimam dicas te etiam atque etiam rogo. Iterum dico, Vale.

S. Viti ad Tilaventum VI. Id. Septem. MDCCXLVIII.

BAPTISMALE HIEROGLYPHICUM

EPISTOLICA DISSERTATIONE

EXPLANATUM,

Cui adnectuntur nonnulla vetusta Documenta
ad Baptismum spectantia.

DOCTISS. VIRO

P. PHILIPPO A VERONA

CAPPUCCINO

FRIDERICUS ALTHANUS

S. D.

SApientia tua dignæ sunt, Pater mi præstantissime, animadversiones tuæ in vetusta illa duo Calendaria, quæ opportunissime ad me misisti, ut in seriem ingerere ea possem aliorum, quæ prelo proxime subjicienda jamdudum comparavi. Utinam in promtu pariter haberem tractationem de vetustis Baptisteriis, quam, ut istic innui tibi, cum se mihi obtulisset occasio vetustissimum nostræ Patriarchalis Aquilejensis Ecclesiæ Baptisterium illustrandi, suscepi, nam novo sine labore id tibi significarem, quod de Baptismali Hieroglyfico sentio, de quo nunc me sententiam rogas. Quemadmodum enim ibi multæ se mihi symbolicæ exhibent explicandæ figuræ, quas sæpe antiquis in Baptisteriis cælatas est cernere; ita etiam de figura ista sermonem habendi exoritur occasio, cui dilucidandæ, utpote mysteriis, & significatibus plenæ, diu ibi, multumque immoror. Sed hujusce mei fœtus nonnisi prima lineamenta exaravi. Pro cujus complemento quum plura ex variis, dissitisque locis sint mihi colligenda, non ægre divinari potest,

quam tarde, atque lente supremam huic operi manum sim ego impositurus. Eo tamen officio, ea sollicitudine ad morem tibi gerendum adigor, ut, omni alio postposito negotio, plurima cum animi propensione statuerim, quidquid in hanc rem hactenus collegi, illud omne per hanc epistolam tibi prodere: nihilque eorum, quæ coram te promam, æstimatione dignum putabo, nisi quod eximio tuo placiturum erit ingenio. Ut ordinate autem, dilucideque procedam, revocanda primum per me tibi in mentem est ejus descriptio Hieroglyfici, cui explanando me stimulas, quodque etiamnum non exístere doleo, quum Baptisterium, cui illud erat insculptum, infeliciter perierit aut fato quodam, aut barbaræ facinore indolis, quæ etiamnum quorumdam animis insidet, ut in antiquitatis monumenta efferati debacchentur. Undecumque id evenerit, Hieroglyfica Imago nostra est Piscis, qui mediis in aquis dorso puerum defert.

Multa esse, te minime præterit, atque varia symbola quæ olim Dominum nostrum Jesum Christum, mystice repræsentabant. Nam eum videmus nunc Arboris, nunc grani Sinapis, nunc Vitis, quandoque Agricolæ, aliquando Agni, sæpius vero Pastoris speciæ designari. Hoc autem postremum, quod ineffabile Redemtionis mysterium plane, pleneque referat, adeo placuit, ut frequentissimus fuerit in Ecclesia mos ita illum depingere. In omnibus fere Musivis antiquorum Urbis templorum, ut tibi jam constat, imago cernitur boni Pastoris, quæ vetustis item in Cœ-

meteriis

meteriis sæpissime inspicitur. *Hujus quidem generis imagines, Boni videlicet Pastoris*, (Cardinalis Baronius inquit) *complures inspeximus in antiquissimo Priscillæ Cœmeterio Via Salaria anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Urbe teste, atque admirante effosso*. Tantumdem autem, si opus esset, dici de reliquis posset. Ipsis in publicis viis imago ista fuit antiquitus exposita: nam eam refert Eusebius (*a*) Constantini Magni Imperatoris jussu medio in Constantinopolitano Foro collocatam fuisse. Sed nusquam forte frequentius veteres Christiani eam incidi curarunt, quam in Calicibus, quibus in sacra Synaxi utebantur. Ejusce moris sæpe Tertullianus (*b*) meminit. Idque non alia magis puto de causa faciebant, quam ut Fidelium Divina Mysteria participantium mentes ad affectus teneritudinem, reciprocamque charitatem excitarent erga illum, qui se totum ipsis donavit, cujus Divinam, infinitamque bonitatem satis vivide Boni Pastoris imago sacris insculpta vasis præ se ferebat.

Similiter, nisi fallor, ut ardentius charitate ferverent, fideque altius efferrentur, qui baptizandi erant, in more positum est, ut antiquis in Baptisteriis imago piscis insculperetur, quo tanquam symbolo Divinus Redemtor noster denotaretur. Imagine autem piscis Christum Jesum significari, plurium gravissimorum Ecclesiasticorum Scripto-

Bb 2 rum

(*a*) In Vita Costan. lib. 3. cap. 38.
(*b*) Lib. de Pudicit. cap. 2. & 10.

rum auctoritate abunde comprobatur. Tertullianus (*a*) de Cajanis loquens Hæreticis, qui aquæ Baptismum respuebant eos aspidi, atque regulo serpentibus comparat, *qui arida, & inaquosa sectantur. Sed nos, inquit, secundum* ΙΧΘΥΝ, *scilicet Piscem nostrum Jesum Christum pisciculi in aqua nascimur*. Ratio vero, cur Jesus Christus sit mysticus Piscis, & Piscis symbolo designetur, apud S. Augustinum (*b*) habetur, qui auctoritatem Sybillæ Erythrææ hisce verbis profert: *Erytræa Sybilla quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in lingua .... Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, græcum nobis codicem obtulit carmina esse dicens Sybillæ Erithrææ, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ *quod est latine Jesus Christus Dei Filius Salvator. Horum autem græcorum quinque verborum si primas litteras jungas, erit* ΙΧΘΥΣ *id est piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, hoc est sine peccato esse potuerit*. Sed ante Augustinum de hoc vocabulo, deque Sybillinis hisce versibus sermonem habuerat Constantinus Magnus apud Eusebium (*c*) *in Orat. ad Sanctorum cœtum* hisce verbis: *Divino quodam instinctu afflata* (Sybilla ista Erythræa) *versibus ea*

(*a*) Lib. de Baptis. cap. 1.
(*b*) De Civit. Dei lib. 18. cap. 23.
(*c*) Cap. 18.

ea; quæ erant de Deo futura prædixit, notisque & ordine primarum litterarum, ακροςιχις dicitur, historiam de Jesu adventu declaravit. Ακροςιχις hæc quidem est Iησῦς Χριςτὸς Θεῦ ὑιος σωτηρ ςαυρὸς Jesus Christus Dei Filius Salvator Crux. Hujusce Acrostichidis versus 34. adfert juxta numerum litterarum ejusdem, quas diphthongis in suas simplices litteras solutis ego descripsi, ut ipsarum numerus appareat. S. Hieronymus item Christum Jesum piscis nomine ibi designat (*a*) ubi Bonosum commendans ajt: *Bonosus tanquam* ΙΧΘΥΟΣ *filius aquosa petit*. Quod mysticum nomen explicans Optatus Milevitanus (*b*) hæc perspicua habet verba: *Hic est piscis, qui in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem græcam in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet*: ΙΧΘΥΣ *enim latine est Jesus Christus Dei Filius Salvator*. Quod etiam hisce verbis S. Prosper (*c*) confirmat: *satiat ex se ipso in littore Discipulos, & toti offerens se Mundo*: ΙΧΘΥΣ *namque latine piscem sacris litteris majores nostri interpretati sunt, hoc ex Sybillinis versibus colligentes, quod est Jesus Christus Dei Filius Salvator; Piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur*. Eadem significatione S. Paulinus

Bb 3 No-

(*a*) Epist. 37. lib. I.
(*b*) Optat. Lib. 3. in Parm.
(*c*) De Præd. P. II. Cap. 19.

Nolanus (*a*) piscis vocem adhibuit inquiens: *Quos quinque panibus, & duobus piscibus panis ipse verus, & aquæ vivæ piscis Christus explevit*: Onuphrius Panvinius verba in hanc rem faciens in suo de Sybillis Libro alia plura de hac significatione testimonia adducit, quæ prætermittenda existimo, quum ea, quæ hactenus collegi, satis superque videantur esse, ut piscis nomine, atque imagine Christum Jesum antiquis temporibus denotatum sæpissime fuisse, monstretur.

Curabo quidem hic obiter, ut observes, adeo carum, acceptumque hunc symbolum piscis veteribus Christianis fuisse; ut illud (Clemente Alexandrino testante (*b*)) gemmis ipsis annulorum, marmoribusque sepulcrorum suorum inciderint. Unius ex istis meminit P. Mabillon (*c*) in quo, ut ipse scribit, *sub Christi Monogrammate sculptus est piscis Christum Salvatorem designans apud antiquos Patres*. Arringhius porro enarrat (*d*), antiquis in sepulcris sæpius obviam esse piscis figuram cum inscriptionibus insculptam. Immo in inscriptione quadam, quam celeber Senator Bonarroti refert primum in Cœmeterio Sanctorum Gordiani, & Epimachi; deinde in insigni Opere *Le Vetri Cimiteriali* pro pisce græci characteres ΙΧΘΥΣ habentur, qui latine idem significant, ac piscis. Idem quoque eximius Bonarroti (*e*) verba faciens de parvo quodam,

(*a*) Epist. XXXIII.
(*b*) Strom. Lib. 6.
(*c*) Epist. de Cultu SS. Ignotorum
(*d*) Rom. Sub. lib. 6. cap. 38.
(*e*) Osserv. su' Vetri Cimit. Tav. 2. Fig. 2.

dam, sed antiquissimo vitro, quod ipse putat fragmentum esse poculi occasione nuptiarum elaborati, in quo effigies quoque cernitur junioris Tobiæ prægrandem piscem in flumine Tigri jussu Angeli capientis, admonet, pisce illo mystice Christum Dominum significari, qui sicut piscis ille seniori Tobiæ, ita humano generi reddidit visum; adjungitque præterea nisus Arringhii auctoritate, hujusmodi picturam Tobiæ apud antiquos valde consuetam fuisse Christianos. Hæc autem ejus interpretatio confirmatur tum ab Augustino dicente (a): *est enim Christus Piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus, cujus jecore* &c. tum ab Optato Milevitano, qui lib. 3. contra Parm. ait: *Christus intelligitur per piscem, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus, cujus fel, & jecur* &c. Ex quo præterquamquod colligimus, historiam Tobiæ primis Ecclesiæ temporibus & receptam, & in sacrarum Scripturarum canone positam fuisse, constat insuper, quæ fuerit antiquorum Christianorum sollicitudo, ac diligentia frequenter, variisque in locis sub symbolo piscis mystice Christum Dominum repræsentandi.

Hinc male, puto, quispiam interpretaretur Hieroglyfici nostri piscem, si per illum quidpiam aliud significari contenderet præter Christum, qui tanquam mysticus piscis homines de procelloso sæculi corrupti pelago tollit, ac suo veluti dorso impositos per Baptismi aquas ad salutis portum perducit. Quoniam vero inæstimabilis hujus beneficii

(a) Serm. 4. de SS. Petro, & Paulo

memoria hujusmodi symbolo in intuentium corde excitata ad specialem grati animi sensum non elicere unumquemque non poterat erga Divinum, amantissimumque Redemptorem; ideo illud in tot, tamque variis antiquitatis monumentis insculptum videmus.

Etsi vero Baptismus per plura sæcula extra necessitatis casum Adultis, atque ætate provectis datus fuerit; in dorso tamen hujusce mystici piscis jure, ac merito puerum insidentem videmus quia quicunque baptizabatur, quamvis senior esset, veluti puer habebatur in nova spiritali vita, ad quam sacra renascebatur ablutione. Hinc Græci cum sæpe soleant ad animi notiones transferre ea quæ ad corpoream lucem exprimendam pertinent, Baptismum idonea voce appellarunt φωτισμα, quæ vox cum derivetur a verbo φωτίζειν, quod idem est, ac illustrare, aut illuminare, illuminationem aut illustrationem significat. Id autem satis apposite: nam sicuti qui ad hanc corpoream lucem enascitur, ab ea illustratur, ita qui ex peccatorum tenebris per lustrales aquas ad immortalem divinæ gratiæ lucem renascitur, ab eadem illuminatur: ideoque Cathecumeni illi, qui proxime baptizandi erant, quos Latini *Competentes*, & *Electos* dixere, aptiori voce φωτιζόμενοι fuerunt a Græcis appellati, hoc est proxime illuminandi. Omnia ista præclare admodum a Clemente Alexandrino (*a*) explicantur. En ipsa ejusdem verba: *statim regenerati* (*inquit*) *re-*

(*a*) Pædagog. Lib. 1. cap. 6.

recepimus perfectionem, *cujus causas festinabamus* .... *Multis modis vocatur hoc opus gratia*, *illuminatio* φώτισμα, *perfectum & lavacrum*; *lavacrum quidem*, *per quod peccata abstergimus*, *gratia autem*, *qua remittuntur pœnæ*, *quæ peccatis debentur*: *Illuminatio autem*, *per quam sanctam illam*, *& salutarem lucem intuemur*, *hoc est*, *per quam id*, *quod est divinum*, *acute perspicimus*. *Perfectum autem dicitur*, *cui nihil deest*. *Quid enim ei desit*, *qui Deum novit*? Hinc recens baptizati φωτισθέντες scilicet illuminati apud Græcos appellati fuere, & aptiori adhuc vocabulo spiritalem eorum generationem signante νεόφυτοι, hoc est recens nati dicti fuerunt, Infantes. etiam vocat eos S. Augustini (*a*) qui sic in hanc rem effatur: *Infantes isti*, *quos cernitis exterius dealbatos interiusque mundatos*, *qui candore vestium splendorem mentium præfigurant* &c. Docti Patres Benedictini, quibus postremam debemus hujus Sancti Doctoris editionem, in eruditis, quibus eam adornarunt adnotationibus animadvertunt, *Infantes dictos fuisse novissime baptizatos etiam ætate majores*. Augustinus Serm. 228. num. 1. .... Momenta referens, cur vocitentur Infantes, ita prosequitur: *Infantes dicuntur*, *quia modo nati sunt Christo*, *qui prius nati fuerant sæculo*. Hoc quoque diserte nobis edocet S. Zeno, qui Tract. 38. (*b*) ad Neophytos post baptisma sic ait: *Post devotissime completa expiationis sacræ casta jejunia*, *post clarissimæ noctis suo sole dulces vigilias*, *post*

(*a*) Serm. 223.
(*b*) Pag. 236. Edit. Veron.

post lactei fontis lavacro vitali in spem immortalitatis animis pullulantes, ex quo qui eratis ætate diversi, diversi natione, subito Germani Fratres, subito Unigeniti emersistis Infantes. At quodnam firmius, quam Ecclesiæ Sanctæ testimonium adducere in hanc rem possum? Ea ipsa in Introitu Missæ Dominicæ *in Albis*, Diei scilicet, quo recens baptizati albas vestes in Baptismo sumtas deponebant, unde *Dominica in Albis*, nempe in vestibus albis dicitur, eos infantes pueros vocitat. En Apostoli Petri verba, quibus utens Ecclesia ipsos alloquitur: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite* &c. Sed ista de re satis. Nam ex dictis te plane intelligere existimo, quam apte in Hieroglyfico nostro puer fuerit repræsentatus, ut nuper baptizati designarentur, qui a Christo Jesu sub mysticis piscis specie de turbidis Mundi aquis tolluntur, atque in tranquillam salutis, & gratiæ stationem transferuntur.

Tibi doctissime Pater, qui plurimum in Sanctorum Patrum lectione versatus es, ut amplo inter alia plura testantur pulchræ adnotationes, quibus nitidissimam S. Hilarii ditasti editionem, quæ paucis ante annis in Patria Urbe tua facta est, tibi, inquam, res insolens non videbitur, quod ego Mundum per aquas Hieroglyfici nostri repræsentari opiner, quum optime scias, variis sub formis illum ab ipsis sæpe depictum fuisse. Facile tibi veniet in mentem, Mundum ab S. Ambrosio (*a*) assimilatum sterili, incultoque deser-

(*a*) In Luc. cap. 29.

ſerto, ab S. Bernardo (*a*) valli lacrymis exundanti fuiſſe: memineris etiam, Mare nuncupatum ab Auguſtino (*b*) dicente; *eſt enim mare Mundus iſte*: ac præterea te legiſſe, recordaberis venuſtam, quam texit in hanc rem, allegoriam Joannes Chryſoſtomus (*c*) qui, *Habemus*, inquit, *pro mari Mundum, pro navi Eccleſiam, pro velo pœnitentiam, pro gubernaculo Crucem, pro nauta Chriſtum, pro vento Spiritum Sanctum*. Mari pariter, ut noſti, Mundum aſſimilavit Caſſiodorius, (*d*) qui Pſalmum 44. exponens cauſam comparationis iſtius ſic adſignat: *Mari juſte comparatur hic Mundus, quia falſitatibus amarus eſt, fluctibus Diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commovetur*. Sed nimio te tœdio afficerem, ſi tibi ſingillatim enumerare contenderem Patres omnes atque Scriptores ſacros, qui maris nomine Mundum ſignificare conſueverunt. Hi pauci ſat ſunt, quos nunc in memoriam revocavi, ut aperte monſtretur, etiam hac in parte non futili, ſed ſolido niti fundamento interpretationem, quam de memorato Hieroglyfico noſtro hactenus tibi adduxi, atque expoſui.

Locus hic eſſet agendi de Baptiſmalibus Pirani. & Glemonæ Hieroglyficis ob ſummam, quam cum noſtro habent, ſimilitudinem, cum exhibeant & ipſa piſcem, qui dorſo figuram portat juvenilem quidem, ſed adultam, & alatam, quæ pi-

(*a*) De Conſid. Lib. V. p. m. 451.
(*b*) Enarr. in Pſal. 114.
(*c*) In Macch.
(*d*) Sup. Pſal. 44.

piscem habenis regit, quas ipsa manu tenet, & quæ aptatæ in ore quidem piscis Glemonæ, sed sub mento piscis Pirani cernuntur. Per adultas horum duorum Hieroglyficorum figuras ostendere forte voluere Veteres, mysticum piscem, nempe Christum Jesum suo deferre dorso non modo Infantes, nempe nuper baptizatos, ut in Hieroglyfico nostro remur, verum etiam Adultos, nimirum Fideles omnes, quos ille mediis de sæculi aquis aufert, & salutem devehit juxta Prophetæ eloquium (*a*) *Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo*; sine ulla tamen liberi arbitrii noxa: cujus rei forte indicium sunt habenæ, quibus se mysticus piscis accomodat. Quispiam etiam fortasse dicet, habenis, quibus mysticus iste piscis ostenditur, sinere se dirigi, voluisse humiliationem Divini Verbi significari, qui quanquam Divinitate sua minime sit habenarum, aut alieni imperii ferendi capax, ut pisces procul dubio sunt habenarum, aut alieni regiminis incapaces: attamen quandoquidem homines sua libertate abusi peccando Deum ipsum vilem ad serviendi conditionem redegerant juxta Prophetæ dictum (*b*) *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*; ipse summa sua caritate adductus formam visibilem servi accepit, seque alienis habenis, atque imperiis submisit, obediens usque ad mortem, ut dein per baptismales aquas merita exinani-

(*a*) Isa. 46. 4.
(*b*) Isa. 43. 24.

manitionis suæ cum hominibus in profundo prævaricationum suarum naufragis communicaret, & eo pacto ex abysso perditionis ad portum salutis deferret, seque Prophetæ verbis quodammodo jactaret: (*a*) *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*; aut uti alibi idem Propheta Personam Redemtoris agens fuit elocutus: (*b*) *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo*: sicque in cujusque Baptismo per Hieroglyficum nostrum id monstretur adimpleri, quod historice quoad figuram prophetice vero quoad Christum figuratum, atque in Baptismo spiritaliter operantem dictum est in libro Sapientiæ (*c*) *Transtulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam*: & id item, quod de Mundo toto S. Gregorius Nazianzenus (*d*) dixit agens de Baptismo, quo Christus in Jordane fuit a Joanne baptizatus: *Ascendit Jesus de aqua secum quodammodo demersum educens, & elevans Mundum*.

Sed si fuse, ac plene vellem tecum de duobus Hieroglyficis istis agere, manum in alienam messem mitterem, cum sciamus, pereruditum Glemonæ Archipresbyterum Joseph Bini munus sibi assumsisse illud Hieroglyficum illustrandi, quod in sua extat Ecclesia, atque hinc propter utriusque similitudinem etiam illud, quod in Ecclesia Pirani existit. Ipse excellenti ingenio, multi-

(*a*) Ib. v. 25.
(*b*) Idem 46. 4.
(*c*) Sap. 10. 18.
(*d*) Orat. in sanc. Lumina

multiplici doctrina, & singulari eruditione ornatus nil super hac re desiderandum sinet: proptereaque non cupere non possumus, ut cito in lucem nobile hoc opus prodeat. Attamen facere non possum, quin hoc loco lepidam referam tibi interpretationem, quam de Hieroglyfico Pirani Dominus Richardus Pococke (*a*) celeber Litteratus Anglus in insigni suorum itinerum Opere nobis adfert. En verba ipsa, quibus eam prodidit: In the church of Pirano the font is an antient vase VVith a relief on it of a Cupid on a delphin: They conjecture that the tovvn VVasbuilt after the time af Attilia. Quod latine redditum significat, in Ecclesia Pirani fontem esse vasa ntiquum anaglypticum quodam cum Cupidine Delphini dorso insidente: conjectare possumus, Urbem post Attilæ tempora conditam fuisse.

Sed quoniam hactenus in materie ad Baptismum spectante versati sumus, patere, quæso, ut hic tandem monumentorum quorumdam ad Sacramentum istud spectantium tibi munusculum exhibeam, quæ tum quod sunt inedita, tum quod aliquam non aspernendam contineant notitiam, firmiter confido, esse tibi & placitura, & comiter excipienda. Horum primum est inscriptio quædam, quæ Venetiis in vetusto quodam Baptisterio legitur, quod in Venerandi tui Ordinis Cœnobio existit: dein duo antiqui baptizandi Ordines juxta ritum nostrum Aquilejensem,

(*a*) Offer. in Germ. Vol. II. Par. II. pag. 262. cap. 12.

fem, qui *Patriarchinus* dicitur, quorum alterum fuit per me transcriptum ex quodam MS. Missali Aquilejensi, alterum vero ex quodam itidem MS. & Aquilejensi Rituali. Ambo isti Liturgici Libri sæculo decimoquarto scripti fuere, nunc vero in potestate sunt Dominorum Comitum Zoppolæ, qui speciali humanitate mecum eos communicarunt. Non multos ante menses exercitationis gratia quasdam super ipsis annotationes conscripsi, quas tibi transmittere audeo cum illis illustrandis quoquo modo esse videantur, ac simul, semperque magis vetustissimam confirment antiquitatem cœremoniarum, quibus in Baptismi administratione uti Sancta Catholica Romana Ecclesia consuevit.

Ab antiqui Baptisterii prædicti inscriptione incipiam, quam dolendum profecto est, totam legi non posse, quod pars marmoris, cui insculpta est, intra parietis cujusdam molem compacta est, & abscondita. Partis ejus, quæ foris prostat, ista sunt verba:

—— Hæc fons nempe sumit infirmos, ut reddat illuminatos

—— Hic expiant scelera sua quod de primo sumpserunt parente

—— Ut efficiantur Christicolæ .....

Reliqua sunt intra parietem operta.

In alia quadam ejusdem Baptisterii parte habentur hæc mutilata verba:

—— I — ptistæ, ut intercedat pro eo

—— —— ntuloque suo.

Illud ego opinor, subesse parieti nomen ejus, qui

qui sumtu suo condi hoc jussit Baptisterium S. Joanni Baptistæ inscriptum, ut hic pro illo, ac illius filiolo de hoc sacro fonte sublato dignetur preces ad Deum mittere: *Pro eo, infantuloque suo*.

Quos innui tibi duos ordines, sive ritus baptizandi, eos hoc loco subjicio, prout in duobus memoratis Missali, & Rituali descripti jacent.



IN-

INCIPIT ORDO

AD CATECHIXANDUM

INFANTEM (1).

IN primis interrogat Sacerdos. Quid venis ad Ecclesiam quærere? ℟. Fidem Christi. Fides quod tibi præstat? ℟. Vitam æternam.

autem vita æterna. Audi Israel Dominum Deum tuum. Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum, sicut te ipsum, & quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris. Et quod vis fieri? ℟. Christianus. Respuis in Diabolum, & omnibus

(1) Qui olim baptizandi erant priusquam baptismalibus aquis lustrarentur, Catechesi imbuebantur. Hi ex græco verbo το κατηχειν idest sonare figurate sumpto κατηχουμενοι scilicet quibus aliquid insonatur, qui erudiuntur, dicti fuere. Multiplices inerant Catechumenorum ordines. Alter eorum, qui Christianæ Religionis desiderio flagrantes ab Idolorum cultu abhorrebant. *Auditores*, ac *Audientes* vocantur isti a Tertulliano lib. de pœn. cap. 6. & 7. atque a S. Cypriano quod Scripturarum lectiones una cum Fidelibus audirent. Alter eorum, qui participes, consortesque facti orationum, ac exorcismorum, qui super Catechumenos fundebantur, in genua ipsa in Ecclesia procumbebant, Unde *Orantes*, vel *genuflectentes* appellati. Meminit Catechumenos Genuflectentes Can. 5. Neocæsariensis. Tertia vero Classis ex *Competentibus*, vel Electis constabat, videlicet ex illis, qui, ut ajt S. Isidorus, *imbuebantur instructione fidei, & Sacramentorum. Istis enim*, pergit ipse, *salutare Symbolum traditur* &c. Competentes Græci Φωτιζομενους reliquos generatim Catechumenos vocitarunt. Cum apud eos Ακροωμενοι, sive *Auditores* occurrunt, minime sunt illi pro Catechumenis accipiendi, verum pro pœnitentibus illi adscriptis Classi, quæ *Auditio* a Latinis, a Græcis vero Ακροασις dicitur. Variæ secundum tempora, ac Classes istorum erant institutiones. Quales fuerint, prælertim D. Augustinus De Catechiz. Rudib. de Symb. ad Comp., ac S. Cyrillus Hierosol. Catech. Mystag. ostendunt. Hinc istis ex Catechesibus, quibus Catechumeni, vel baptizandi olim instituebantur, hodierni Catechismi, qui inter Baptismi cœremonias reponitur, origo dimanat.

bus operibus ejus. ℟. Reſpuo. Memor eſto ſermonibus tuis, ut a te nunquam recedant Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. *Tunc inſuflet in eum ter dicens.* Exuflo te, maligne ſpiritus, ab hoc pſalmate Dei, ut exeas, & recedas ab eo. Exi ab eo, Spiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto. *Tunc aſpiret ter in faciem ejus, & dicat*: Accipe Spiritum Sanctum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Signum Sanctæ Crucis Domini noſtri in fronte tuo pono. *Et Signa Crucem in pectore ejus, & dic*: Accipe Signum crucis tam (1) in fronte, quam in corde, ſume fidem cœleſtium præceptorum, talis eſto moribus, ut templum Dei eſſe jam poſſis, ingreſſuſque Eccleſiam Dei, evaſiſſe te laqueos mortis, lætus agnoſce, horreſce Idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem Omnipotentem, & Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, Qui cum eo, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Dominum vobiſcum.
℟. Et cum Spirito tuo.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpicere dignare ſuper hunc

(1) Primævis Eccleſiæ ſæculis per ſignum Crucis in Catechumenatum aditus patebat. Divus Auguſtinus hunc pervetuſtum ritum apertis verbis oſtendit in ſerm. ad Catech. *Dum*, inquit ille, *per ſacratiſſimum ſignum vos ſuſcepit in utero Sancta Mater Eccleſia, quæ ſicut & Fratres veſtros cum ſumma lætitia ſpiraliter pariet, &c.*

hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo repelle. Disrumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat alligatus. Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui percepta medicina. Per Dominum &c.

Oratio.

Preces nostras Populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, & hunc Electum tuum N. crucis Dominicæ, cujus eum impressione signamus, virtute custodi, ut magnitudinem gloriæ tuæ servans per custodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gratiam pervenire mereatur. Per Dominum &c.

Alia Oratio.

Deus, qui humani generis ita es Conditor, ut sis etiam reformator, propitiare Populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis ascribe: ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant, se recepisse per gratiam. Per Dominum &c.

Benedicat Sal.

Exorcizo te creatura Salis in nomine Dei Patris Omnipotentis, & in charitate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum Sanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit: ut in nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Postea pones salem in ore, & die.

Accipe (1) Salem Sapientiæ, ut Dominus sit tibi propitiatus in vitam æternam. Amen.

Super utrumque.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ Conditor Creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc fa-

(1) Sal erat præcipuum Catechumenorum Sacramentum. Hoc satis diserte nobis edocet Concilium Carthaginense tert. Can. 5. ubi ait: *Placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumeni non detur, nisi solitum sal. Quia si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.*

famulum tuum N. respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum Salis gustantem non diutius exurire permittas, quo minus cibo expleatur cœlesti, quatenus sit semper spe fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens: perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum &c.

Super Masculum.

Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moisi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte: te quæsumus Domine, ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum, ut similiter custodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Per Dominum &c.

Bis super Masculum, ter super Fœminam.

Ergo maledicte Diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum Deus, & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptismatis dono vocare dignatus est, & hoc signum Sanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare.

tuis divino fonte purgatum pectus, ideſt ſancti-ficatus Deo, templum & aptum perficiat, & ab omnibus noxiis præteritorum criminum liberatus Servus Dei, gratias Deo referat ſemper, & benedicat nomen ejus ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.

Super Maſculum.

Exorcizo te immunde Spiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut exeas, & recedas ab hoc Famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat maledicte dampnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Per Dominum &c.

Ergo Maledicte &c. ad utrumque.

Æternam, ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus auctor luminis, & veritatis ſuper hunc Famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum, & ſanctifica eum. Da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Dominum &c.

Super Fœminam.

Deus Cœli, Dominus terræ, Deus Angelorum, Deus Arcangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Pro-

Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martirum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, te invoco, Domine, super hanc Famulam tuam N. ut perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Dominum &c.

Ergo maledicte. Super Fœminam.

Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Tribus Israel Ægyptia servitute liberasti, per Moisen Famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti. Te supplex deprecor, Domine, ut liberes & hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Dominum &c.

Ergo maledicte. Super Fœminam.

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut exeas, & recedas ab hac Famula Dei N. ipse enim tibi imperat, maledicte Dampnate, qui cœco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de Monumento suscitavit. Per Dominum &c.

Ergo maledicte. Super utrumque.

Nec te latet, Sathana, imminere tibi pœnas, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiter-

piterni, diem, qui venturus est, veluti Clibanus ardens, in quo tibi, atque universis Angelis tuis æternus superveniet interitus pro tua nequitia, damnate, atque damnande, da honorem Deo vivo, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto, in cujus nomine, atque virtute præcipio tibi, quicunque es, spiritus immunde, ut exeas, & recedas ab hoc Famulo Dei N. quia hodie idem Deus, & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptismatis dono vocare dignatus est, ut fiat ei templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum: In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Hic tangat ei aures, & nares de sputo suo ita dicendo: Effeta quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, Diabole, appropinquabit enim judicium Dei. Amen. Pax tibi. ℟. & cum Spiritu tuo.

Secundum Matthæum. In illo tempore oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem ejus increpabant eos. Jesus vero ait illis. Sinite, & nolite prohibere eos ad me venire. Talium est enim regnum Cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

Deinde Pater noster. Credo in Deum. Benedictio Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper.

In-

Ingredere in Templum Dei, ut habeas vitam æternam. Amen. Abrenuntias Sathanæ? ℞. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus? Abrenuntio.

Tunc linias eum de oleo in pectore, & inter scapulas. Ego linio te Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & terræ? ℞. Credo. Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum, & passum? ℞. Credo. Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Carnis resurrectionem, vitam æternam? Credo.

Quid petis? ℞. Baptismum. Vis baptizari? ℞. Volo. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Postea linias eum in Capite de Crisma. Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro propitiatus in vitam æternam. Amen.

Hanc vestem custodi sanctam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Deus vera lux hominum Jesu Christe fons luminis, qui hunc servum illuminas de proprio fulgore, tua misericordia signet, & benedicat. Amen.

Acci-

Accipe lampadem accensam irreprehensibilem, custodi Baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad Nuptias possis ei occurrere obviam una cum Sanctis aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.



OR-

O R D O
AD BAPTIZANDUM
PUERUM.

PRimo *interroget Sacerdos de nomine Infantis Patrinum* (1) *& dicat* N. Quid petis ab Ecclesia Dei? ℟. Fidem. Fides quid tibi præstat? ℟. Vitam æternam. *Interroget*. Vitam æternam quis est tibi daturus? ℟. Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi. *Interroget*. Abrenuntias Sathanæ? (2) *Interroget*. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos exsufflet in modum Crucis in faciem ejus dicens: Exsufflo (3) te, immunde Spi-

(1) Qui Patrini, ac Santuli hic nuncupantur, olim modo *Sponsores* ut a Tertulliano lib. de Bap. cap. 18. modo *Fideijussores* vel *Fideidictores*, tamquam qui de fide, ac sufficienti instructione fidem darent, ac sponderent, modo vero *Offerentes*, vel *Sucepteres* eo quod Catechumenos ad Baptismum offerrent, illosve Baptismalibus ex aquis susciperent. In perantiquo Romano Ordine post datum Baptismum subjungitur: *& sint parati qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum*. Cumque frequens esset adultorum Baptismus, ac toti pene nudi aquis Baptismatis immergerentur, etiam plerunque viri viros, & mulieres fœminas de Baptismo suscipiebant, ut colligere par est ex vetusto Apostolicarum Constit. Auctore lib. 3. cap. 16. ubi ait: *virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem vero Diaconissa, ut honeste &c*,

(2) Maxima antiquitate præstat ritus, quo ante Baptismum Catechumeni renuntiabant Diabolo, & pompis ejus. Hunc meminit Tertullianus, qui floruit labente II. sæculo in lib. de Spirit. Sanct. Cap. 27. morem istum ex traditione ad nos dimanasse pronunciant: *Ter immergi hominem*, ait ille, *unde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptisme, veluti renuntiare Sathanæ ex qua Scriptura habemus? Nonne ex privata, & arcana traditione?*

(3) Exorcismos, & exsufflationes etiam super Infantes baptizandos suo tempore diei solitos fuisse, testatur D. Augustinus Epist. 194. n. 43. & n. 46. Edit. Paris.

Spiritus, In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Amen. Exi, Sathanas, & recede ab hoc famulo Dei, & da honorem Deo vivo, & vero. Fuge, immunde Spiritus, & da locum Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto Paracleto.

Et signando eum fronte dicat: Signum Sanctæ Cru✠cis Christi in fronte tua pono. *Item in pectore*: Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono. *Sequitur crucem producendo a fronte usque ad pectus*.

Accipe signum Sanctæ Crucis Christi tam in fronte, quam in corde. Sume scutum fidei cœlestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis. Ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce. Horresce Idola, respue Simulacra. Cole Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, qui cum Deo Patre vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Oratio.

Te deprecor, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, ut huic Famulo tuo N. qui in sæculi hujus nocte vagatur incertus, & dubius viam veritatis, & agnitionis tuæ jubeas demonstrari, quatenus reseratis oculis cordis sui te unum Deum Patrem Omnipotentem in Filio, & Filium cum Spiritu Sancto in Patre recognoscat. Atque hujus confessionis fructum hic, & in futuro sæculo percipere mereatur. Per eumdem Dominum &c.

Interrog-

Interroget nomen Infantis. Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli, & terræ? ℟. Credo. *Interroget*. Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum, & passum? ℟. Credo. *Interroget*. Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Vitam æternam. Amen? ℟. Credo.

Et sequitur Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus Pater Domini nostri Jesu Christi respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei dono vocare dignatus es, omnemque cæcitatem cordis ab eo expellere vitiorum omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut signo Sapientiæ tuæ imbutus omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui percepta medicina. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Iterum signet eum dicendo.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi; & hunc electum N., cujus Crucis impressione signamus, tua virtute custodi. Et magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans per cu-

stodiam

ſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

Deus qui humani generis ita es Conditor, ut ſis etiam reformator, propitiare populo tuo adoptivo, & novo teſtamento ſobolem novæ prolis aſcribe: ut filii promiſſionis tuæ, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos accipiat de Sale benedicto, & ponat in ore Infantis dicendo N. Accipe ſalem Sapientiæ, qui propitius ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus Oratio

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ Conditor veritatis, te ſupplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum Salis guſtantem non diutius exurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti: quatenus ſit ſemper ſpiritu Domini fervens, ſpe gaudens, tuo nomini ſemper ſerviens, & perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et

Et tenendo manus super caput pueri dicat simul cum Famulo. Pater noster, qui es in Cœlis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Amen.

SYMBOLUM.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & terræ, & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, & Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Vitam æternam. Amen.

Interroget nomen Infantis, & dans stolam in manu Santuli extra portam existens, & cum Infante eum introducendo in Ecclesia dicens.

Ingredere in Templum Domini Dei tui, ut merearis videre Filium Dei, habeasque partem cum

cum Sanctis, & Electis ejus in vitam æternam. ℟. Amen. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Tunc (1) Santulus ponat Infantem in terra, & Sacerdos legat super eum.

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui te auctor luminis, & veritatis super hunc famulum tuum N. largitatem tuæ benedictionis infundas: ut digneris eum illuminare lumine scientiæ, & intelligentiæ tuæ. Munda eum, ac sanctifica, Da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneatque firmam spem, doctrinam sanctam, consilium rectum, ut aptus sit ad per-

(1) Pœnitentiarum, quas Catechumeni olim subibant, ritus iste speciem quandam præsefert. Ipsos enim Infantes quamdam pœnitentiæ umbram ante Baptismum olim suscepisse, nobis edocet S. Hildefonsus Toletanus Archiepiscopus, qui lib. annot. de Ord. Bapt. cap. 2. sic ajt: *Hi*, scilicet Catechumeni, *si majores ætate sunt, cum actione pœnitentiæ veniunt si minores sunt, in signo pœnitentiæ per stramenta Ciliciorum a Ministris deducuntur ad Sacerdotem, ut qui per se non possunt agere pœnitentiæ opus, in se habeant pœnitentiæ signum propter ætatis minimæ tempus, & hoc teneatur in pœnitendi affectu, quod notatur in pœnitentiæ signo.* Quum vero præter cilicium volutatio in pulvere, cervicum inflexio, ac Χαμευνία, idest humi cubatio Catechumenorum afflictationes fuerint, facile crediderim, aliquam ex istis innui a ritu nostro, quo ut alibi per stramenta ciliciorum Aquilejenses Infantes humi jacentes pœnitentium similitudinem gerebant. Interim de multiplicibus Catechumenorum pœnitentiis vide, si lubet, Gregor. Nazianz. Orat. 40. in sac. lavac. Augustinum Serm. 13. ad Neoph. Cyrillum in Præfat. ad Catech. Mystagog. ac ut alios Patres omittam, Josephum Vicecomitem Ambrosiani Collegii Doctorem, qui lib. 3. de antiq. Bap. rit. ac cœterem cap. 11. & 12. hanc spartam uberrime exornavit.

cipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Nec te lateat, Sathanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi gehennam, imminere tibi diem ſupplicii ſempiterni; diem qui venturus eſt, velut clibanus ardens, in quo tibi, atque univerſis Angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde pro tua nequitia, damnate, atque damnande, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero. Da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto Paracleto, in cujus nomine, atque virtute adjuro te, quicunque es, Spiritus immunde, in hoc jacentis corpore conſtitutus, ut exeas, & recedas ab eo, fiatque vas mundum ad ſupervenientem jam nunc in ipſum Spiritum Sanctum. Sitque etiam templum Dei vivi, quem Deus, & Dominus noſter Jeſus *Chriſtus* ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic elevetur Infans, & catechizetur devote.

Medelam tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens æterne Deus, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella, dum verberas. Te ergo, Domine, ſupplices deprecamur, ut

hunc

hunc famulum tuum N. eruas ab hac valetudine, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ tentationem, sed sicut Job terminum ei impone, ne inimicus de anima ista sine redemptione Baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, & spatium vitæ extende, releva, quem perducas ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde cum sputo tangat nares, & aures sic dicendo: Effeta, quod est aperire nares, & aures in odorem suavitatis, tu autem effugare, Diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Hic procedit ad fontem, & adducto Infante interroget eum de nomine ejus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum, & passum? ℟. Credo. *Interroget*. Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis (1) resurrectionem, vitam æternam. Amen? ℟. Credo. *Interroget*. Abrenuntias Sathanæ? ℟. Abrenuntio. *Interroget*. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos faciat Crucem (2) *in pectore*, *& inter*

(1) Sæculo IV. ut a Rufino accepimus, Expl. Symb. dogma idem Aquilejenses nostri uberius explicantes HUJUS carnis resurrectionem profitebantur.

(2) Totum corpus olim perliniebatur. Adeundus Sanctus Cy-

& inter scapulas Infantis de Oleo Sancto sic dicens: Ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, qui propitiatus sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Postea interroget ex nomine Infantis dicens: N. Vis baptizari? ℟. Volo. *Et dicat ter, & confestim baptizet eum dicendo.* Et ego te baptizo in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Et faciendo Crucem in vertice capitis cum Chrismate (1) dicat:*

ORATIO.

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.

Iterum

---

rillus Hierosol. in Cat. 20. Mystag. 2. ubi hac de re sic habet: *Deinde vere sic exuti, exorcizato peruncti estis oleo a summis verticis capillis, usque ad infima, & participes facti estis sincera olea Jesu Christi.*

(1) Post susceptum Baptismum statim baptizati Chrismate ab Episcopo ungebantur, sive confirmabantur. *Oportet*, ajt Canon. 48. Laodicenus, *eos, qui illuminantur*, sive ut legit Dionysius Exiguus *qui baptizantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate, & esse regni cœlestis participes.* Hujus disciplinæ apud primæ, & mediæ ætatis Scriptores infinita extant testimonia, quæ recensentur ab Ugone Menardo in notis ad Sacramentarium Gregorii pag. 144. additque: *nec ungebatur Neophytus in vertice a Presbytero, cum ejusmodi unctio inservenda sit ob defectum Episcopi.* Verum apud Græcos ad hanc usque diem Presbyteri in frontibus batizatos Chrismate tangunt. Ast etiam apud Latinos olim hæc consuetudo obtinuit præsertim in Sardinia. De hac re consulendus est D. Gregorius Epist. 9. lib. 3.

Iterum invocato de ejus nomine; & dans ei Sacerdos vestem dicat orationem:

Accipe vestem (1) sanctam, & immaculatam, quam perferas ante Tribunal Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Item det candelam in dextera manu Santuli dicens orationem.

Accipe lampadem (2) ardentem irreprehensibilem, custodi Baptismum tuum, ut cum Dominus advenerit, possis occurrere ei in aula cœlesti. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo. Vade in pace.

 Tibi,

(1) Vestes albas, quibus baptizati e fonte Baptimatis educti induebantur; recensent S. Cyrillus Hierosol. Catech. Mist. 4. S. Ambrosius lib. de Initian. cap. 7., aliique quamplures cum Latini, tum Græci Scriptores. Vestem hanc in omnibus pœne Ecclesiis septem diebus retinebant Neophyti, idest eam in Sabbato Sancto egredientes de fonte Baptismatis induebant, atque sequenti Sabbato illa deponebatur. Hujusce disciplinæ testis est luculentus August. serm. 157. de Dom. in Oct. Pasch. *Paschalis solemnitas*, ait, *hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen ut candor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur*. Quam ob rem septem has dies *albas* vocabant, teste Rabbano Mauro lib. 5. de Instit. Cler. cap. 39.

(2) Neophytis olim cereos traditos fuisse in manibus refert S. Cyrillus Hierosol. Catech. 1. Mystag. ejusdemque ritus meminit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. ubi Baptismi cœremonias describens in earum numerum cerei gestationem quoque reponit. Cereo septem diebus quemadmodum veste candida Neophytos olim usos fuisse, clare expressit Sæculo VIII. scribens Alcuinus de Divin. Offic. de Sabbato in Albis, ubi postquam dixisset, quod Neophyti septem diebus vestibus albis uterentur, subjicit: *ita nostri baptizati extinctis peccatis præteritis ducuntur ad Ecclesiam columna cerei illuminata præcedente eos*.

Tibi, præstantissime Pater, perfectæque perspicientiæ tuæ libentissime subjicio, quidquid hactenus morem tibi gerendi gratia de memorato baptismali Hieroglyfico sermocinari sum nisus. Singularis peritia tua in omni studiorum genere, præsertim vero sacra in Philologia, statim discernet, num plausibilis, beneque fundata sit ratiocinatio mea, & perspiciet insuper, quidquid ego ut etiam atque etiam eam firmarem, adjicere potuissem. Judicium itaque tuum præstolabor, simulque ea documenta, quæ in rem istam condita forte in magno eruditionis tuæ thesauro adservas, ut ea tunc mihi sint profutura, cum, sicut alias innui tibi, de Antiquis Baptisteriis tractabo. Interim hæc pauca, quæ plurimis distentus curis præpropere collegi, humaniter excipe, meque, qui qua eximiæ virtutes tuæ dignissimæ sunt, æstimatione te prosequor, amare perge. Vale

Dabam Sancti Viti ad Tilaventum IV. Cal. Apr. anno 1749.

Hæc omnia pro re nata hic de Baptismo, ejusque ritibus, ac çeremoniis recensere placuit, ut magis, magisque eniteat, quam immerito Etherodoxi illos, tanquam novos & quasi superstitionem redolentes explodant, eliminentque, quum contra a Patribus adhibitos, & nobis traditos fuisse, satis superque exploratum sit.

IN QUODDAM

ALTARE PORTATILE

EPISTOLARIS DISSERTATIO.

CL. VIRO

LAURENTIO A TURRE

Congregationis Oratorii Utinensis Præposito.

FRIDERICUS ALTANUS

S. D.

PErquirenti mihi sæpenumero, Vir ornatissime, quibusnam potissimum pro multis eximiis a te mecum perhumaniter collatis monumentis tibi vicem rependerem, tandem aliquando antiquum occurrit ecclesiasticum Documentum, quod tenebricoso in scrinio misere delitescens paucis abhinc diebus hic nostro in Salvaroli Castro sum feliciter nactus. Et quum optime sciam, quantum hisce monumentis gaudeas, atque oblecteris, iccirco, ut te quoquo modo remunerer, gratiamque demerear tuam, ecce illud tecum statim communico, de quo simul sententiam tuam rogatum venio, petitumque, ut quæ ad istud exornandum pro virili conatus sum texere, num ea rata facias, candide profiteri velis. Quid autem illud sit, ut sine cunctatione indicem tibi: Altare portatile istud esse arbitror, cujus descriptionem hic tibi subjicio. Tabula marmorea est albo colore parallelogrammi figuram exhibens. Ejus longitudo in basi est pedis unius, ac digiti unius cum dimidio, latitudo octo digitorum cum

dimi-

pro comoditate celebrantium, indubium similiter esse debet: Quam quidem tabellam temporum injuria deperditam fuisse fateri cogimur, ea enim nos caremus.

Descriptio vero Reliquiarum in lateribus nostri lapidis excisa ita se habet.

✠ In hoc Altariolo sunt Reliquiæ Sanctorum Apostolorum Petri Pauli Andreæ Philippi Jacobi & Bartholomæi & Sanctorum Martyrum Stephani Laurentii Hermachoræ Fortunati Helari & Sanctorum Cantii Cantiani Cantianillæ & Sanctarum Virginum Euphemiæ Dorotheæ Theclæ & Erasmæ. ✠ Plasenterius De Caono Fecit Fieri Hoc Altariolum In Anno Domini MCCLXXI. Mense Decembri Indictione XIIII. Post Mortem Venerabilis Domini Gregorii de Monte Longo Quondam Patriarcæ Aquilegiæ Duos Annos Et Menses Tres.

In primis animadvertas velim Crucis signum huic inscriptioni præfixum, quod in antiquis Christianis Monimentis, ut plurimum, videre est. Majores enim nostri, quemadmodum plerique Scriptores, & præsertim Joannes Fronto, qui eruditam de Crucis signo adornavit Dissertationem, jam ante nos adnotarunt, ab hoc Βασιλίκω, ut illud Cyrillus (*a*) Hierosolymitanus appellat, signo (*b*) omnia semper felici omine auspi-

(*a*) Catech. IV. num. XIV. pag. 58. Edit. Paris.

(*b*) Inter complura, quæ huic rei probandæ nobis suppeterent testimonia, duo solummodo proferre contenti erimus, Hieronymum videlicet, ac Cyrillum Hierosolymitanum, quorum alter in Epistola ad Eustochium sic ait; *Ad omnem actum, ad omnem in-*

ſpicabantur. Quod profectò ſi quibuſquam aliis, noſtræ præſertim Tabulæ mire aptabatur, quum ſuper illa Sacrificium Crucis hoc eſt divinum Miſſæ Sacrificium peragendum foret. Mecum te ſentire, Vir eruditiſſime, exiſtimo Tabulam hanc ex illis fuiſſe, quibus vice Altaris, dum iter faciebant, Sacerdotes utebantur, quæ ideo *Tabulæ Itinerariæ* ab Ordine Romano ſunt dictæ, quæque aliis etiam appellabantur nominibus. Nam Bonifacius VIII. *Viaticum*, ſeu *Altare Viaticum*; Concilium Triburienſe *Tabulam Conſecratam*, alii vero *Altare Portatile*; *Altare Geſtatorium*, *Lapidem Portatilem* illas vocitarunt. Inſuper iſtas etiam *Altariolum* aliquando nuncupatas fuiſſe noſter indigitat Lapis; tandem apud Græcos ἀντιμίνσιον, ideſt vice menſæ eædem (*a*) Balſamone teſtante, appellatæ fuere.

A primis uſque Eccleſiæ ſæculis iſtas a Majoribus noſtris adhibitas fuiſſe Tabulas, procul dubio haud obſcure conſtat, quidquid ſecus Joannes (*b*) Thierſius, ac Roccus (*c*) Miniſter proferant, quorum alter ab ineunte octavo, alter vero ab undecimo Chriſti ſæculo illarum traducit originem. At hi Scriptores quammaxime a veritate diſſentiant, facile dignoſces, ſi tantummodo ſacrata in menſa divinum Sacrificium

---

ceſſum manus pingat crucem: alter vero nuper memorata Catecheſi ſuis φωτιζομένοις hoc de negotio ita eloquitur. *Fac vero hoc ſignum, dum manducas, & bibis, ſedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio.*

(*a*) Ad Concil. 6. Can. 1 ſive 31.

(*b*) In Diſſert. de præcipu. Altar. cap. 2.

(*c*) In Hiſt. Euchariſt.

sium agendi pervetustum morem tibi in mentem revoces. Hanc vero consuetudinem ab Ecclesiæ exordio apud Christianos obtinuisse, satis aperte innuere videtur Ignatius (*a*) Martyr, qui Philadelphienses quum adhortaretur, ut ipsi a Schismate abhorrentes simul ac in eodem loco sacram sumerent Eucharistiam ait ἓν θυσιαστήριον ὡς. Ἧς Ἐπίσκοπος, quemadmodum unus est Episcopus, ita unum quoque est *sacrificatorium* idest Altare. Hoc idem etiam perspicue tradit Summus Pontifex Sanctus (*b*) Clemens, qui Corinthiis προσφοράς, καί λειτουργίας oblationes nempe, & liturgias memorans, Dominum statuisse, inquit, quo in loco, & a quo hæ forent res consummandæ πῦτε; καί διά τινων ἐπιτελεῖσθαι. His adde, si placet, (*c*) Athanasium, a quo præter *mysticum calicem* sacra quoque *mensa* recensetur, (*d*) Tertullianum, ac Sanct. (*e*) Cyprianum, qui Altarium aperte meminerunt. Insuper Altaria maximam vetustatem præseferentia te Romæ in Catacumbis vidisse facile recordaberis, quæ utpote rara primorum sæculorum monumenta ab Arringhio, atque a Boldeto memorantur. Et licet extra sacram mensam sacrificium agere aliquando urgeret necessitas, illud tamen super re quoquo modo sacrata conficere diligenti sollicitudine antiquissimi Episcopi, ac Sacerdotes eniteban-

(*a*) Paragra. 4.
(*b*) Epist. I.
(*c*) Apol. II.
(*d*) De Orat. cap. 10.
(*e*) Epist. 40. 42. & alibi.

tebantur. Quod egregie demonstrant exempla Theodoriti Cyri Episcopi apud (*a*) Mabillonium, ac Sancti Luciani Martyris Nicomediensis, quorum alter Diaconorum manibus, quum Altari careret ad Sacrificium agendum est usus, alter vero, sicuti apud (*b*) Philostorgium, & (*c*) Bollandianos legitur, in carcere supra proprium jam martyrio sacratum pectus sacra confecit. Hinc nobis summæ nostrarum Tabularum antiquitati comprobandæ certe haud aspernandum exoritur argumentum. Quis enim persecutionum temporibus, quibus omnia metu, ac vi redundabant, Sacerdotibus, ac Pontificibus Sanctissimis, in cryptis, in carceribus, aliisque abditis in locis, quibus illi ut plurimum sacrum agere cogebantur, Altaria, ut vocant, stabilia in promptu extitisse credat? Præterea cum sacrificantibus minime liceret quacunque uti profana Tabula in re tam sancta peragenda, ut ex nuper dictis intelligimus, hinc jure, ac merito colligendum videtur, Tabulas hisce nostris consimiles illis etiam temporibus divino in Sacrificio adhibitas fuisse. Immo Cl. Abbas Joannes Baptista (*d*) Gattico in erudito Opusculo *de usu Altaris portatilis* a temporibus Apostolicis ejusdem Altaris exemplum extitisse contendit, quod ille ut evincat, primorum sæculorum complura in medium

(*a*) Præf. I. Sæculi III. Ord. S. Bened. num. 77.
(*b*) Lib. 2. num 13. pag. 474.
(*c*) Tom. I. Januar. cap. 4. pag. 361.
(*d*) Cap. 4.

medium adfert exempla, quæ sententiam nostram egregie confirmant, atque tuentur, quæ tamen hoc loco nos missa facimus, ne actum agamus. Hæc de ejusmodi Tabularum antiquitate.

Qua vero ex materia remotissimis illis temporibus Tabulæ istæ conficerentur, non adhuc liquido compertum est. Lignea enim, & *immobilia* eadem tempestate persæpe habebantur Altaria, ut ex Athanasio, Optato Milevitano, Augustino, aliisque, nuper recensitus eruditissimus Pater (*a*) Gattico fuse comprobat. Optima enim ratio suadet ex eadem materia *gestatoria Altaria* compacta fuisse, quæ *fixis* in Altaribus construendis adhibebatur. Ligneam vero tunc temporis hanc materiam fuisse, nonnulla, quæ Romæ etiamnum prostant, hujusce antiquitatis præclara monumenta confirmant, duæ videlicet sacratæ mensæ ex ligno compactæ, quarum altera in Ecclesia Sanctæ Pudentianæ, altera vero in Lateranensi Basilica adservatur. Qui ligneorum portatilium Altarium usus ad sæcula posteriora etiam dimanavit, ut colligere est ex scriptore Anonymo lib. 1. Miracul. S. Dionysii cap. 20. (sæc. 3. Bened. Par. 2.) ubi de Monachis Sandionysianis in Castra Caroli M. proficiscentibus tradit, quod illis *lignea Tabula erat, quæ linteo adoperta modum altaris efferebat*. Verum octavo, ac nono sæculo hæ viaticæ Tabulæ frequentius ex lapide construi cæperunt. Extat in Appendice I. Cap. 1. Capitularium Caroli M. Decretum, a quo

(*a*) Laudat. Opus. cap. 2. num. 2.

a quo *non conſecranda Altaria, niſi lapidea* præcipitur, quod & a Synodo Epaonenſi ſancitum fuit. Hincmarus etiam Rhemenſis Epiſcopus in capitulari ſecundo ſuis injungit Presbyteris, *ut nullus Miſſam celebret in Altari non conſecrato, vel ſine Tabula ab Epiſcopo conſecrata, quæ ſit de marmore, vel nigra petra, aut litro honeſtiſſimo*. Id quoque cujuſdam veteris Sandionyſiani codicis auctoritate fretus doctiſſimus (*a*) Mabillonius tradit, ſimulque nobis harumce Tabularum formam, ac magnitudinem indicat. *Formam ejuſmodi Tabularum*, inquit ille, *repræſentat nobis Codex manu exaratus Cœnobii Dionyſiani prope Lutetiam Pariſiorum, quo in Codice Carolus Calvus prædicto Monaſterio multa donaria contuliſſe dicitur; in his Altare portatile de marmore Porphyretico per quadrum auro incluſo quatuor pedes habente, in quo in anteriori parte poſuit brachium Sancti Jacobi Apoſtoli qui dictus eſt Frater Domini, ad dexteram vero ejuſdem Altaris partem brachii pretioſiſſimi Protomartyris Stephani, ad ſiniſtram vero ejuſdem Altaris brachium S. Vincentii Martyris auro optimo incluſit*. At non omnibus itinerariis Tabulis tanta ſemper inerat amplitudo. Duas anguſtiſſimas geſtatorias Aras ſe vidiſſe in Leodienſi Monaſterio S. Laurentii refert (*b*) Mertenius, quarum una ex mormore Porphyretico unius pedis longitudinem, & latitudinem ſemipedis exhibebat, altera vero ex viridi

lapide

(*a*) Laud. cap. num. 10.
(*b*) Vide Gatticum eodem cap. num. 3.

lapide duorum pollicum longitudine, ac trium latitudine constabat, cui ob nimiam angustiam limbus metallicus adjungendus fuit. Porro illarum amplitudo variari solebat, sicuti laudatus (*a*) Gattico optime conjectat pro diversa, aut dignitate, aut multitudine eorum, qui Sacrificio interventuri erant. Ut vero (*b*) *fixa*, sic etiam *mobilia* argento, auroque nonnunquam exornabantur Altaria. Præter nuperrime recensitam Caroli Calvi viaticam Aram, ab Helgaldo in vita Roberti Francorum Regis gestatorium memoratur Altare *auro, & argento mirabiliter paratum*; & in vita Ricchardi Verdunensis num. 8. (sæc. VI. Bened. ad 14. Junii) Hugo Flaviniacensis Altariolum recenset *ex auro purissimo*, quo S. Abbas utebatur. Complura alia hujus rei testimonia tibi obviam erunt, si Gatticum (*c*) consules, ex quo hæc quoque nos deprompsisse ingenue fatemur.

Non abs re erit hoc loco adnotare, Græcos non Ligneis, vel Lapideis, sed Linteis viaticis Aris, seu *antimensiis* usos fuisse, & etiam nunc uti solere, quæ sicut in Euchologii Commentario tradit pereruditus Goarius, *sunt quasi sacræ mensæ vice assumpta Græcorum Altaria portatilia; lintea nimirum sacris Reliquiis ditata, unguento quoque sacro delibuta, & Pontificis benedictione ad Missam in eis celebrandam dedicata*. Quæ dedi-

Ee catio,

(*a*) Eodem cap. num. 7.
(*b*) Præfat. memor. num. 78.
(*c*) Lib. 2. De Antiq. Eccl. Rit. cap. 17. num. 2.

catio, seu *Antimensiorum* consecratio non nisi in novi Templi dedicatione facienda erat, si credimus Joanni Citri Episcopo, qui lib. V. Juris Orient. hoc de negotio ait: *nullo pacto repertum est, ut Antimensia aliter fiant, quam in novi Templi dedicatione*. Quibus vero hujusmodi consecratio ageretur ritibus, in prælaudato Euchologio (*a*) per Goarium vulgato describitur. Verum a cæteris Orientalibus consecratæ adhibentur Tabulæ, quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ, ac Cyriaci Patriarchæ Constitutiones ab Abulfaragio in Nomocanone relatæ satis aperte demonstrant: *Sacerdos* (sic habentur illæ) *non celebret absque Tabula consecrata ab Episcopo*. Quæ Tabulæ præsertim apud Cophtos parantur *ex ligno electo, aut pretioso, aut ex marmore, vel lapide alio*, ut legitur in Codice Bibliot. Florentinæ ritus proferente, quibus a laudatis Cophtis Aræ istæ consecrantur. Præterea insignis est erga hasce Tabulas Christianorum Æthiopum pietas a docto (*b*) Bruno memorata. Tradit enim ille, dum eorum Imperator iter agit, a Sacerdotibus Sacrum Altare in Arca deferri, cui duo præcedunt Clerici, quorum alter Crucem, ac Thuribulum, alter tintinnabulum, seu Campanulam defert, ad cujus sonitum per viam transeuntes sistunt, illudque venerantur.

At forte quærere hic quispiam poterit, num Altaribus tum *stabilibus*, tum *gestatoriis* semper ejusdem

(*a*) Pag. 517. Novæ Edit. Venet.
(*b*) Dissert. 22. Art. I. pag. 278. Edit. Veronen.

ejusdem generis Reliquias inserere una, ac constans ubique consuetudo obtinuerit? Hoc de negotio quam varii fuerint in Ecclesia usus, tibi jam egregie perspicuum est. Optime enim noris, Vir doctissime, primævis Ecclesiasticis sæculis sacra Sanctorum corpora e tumulis auferre, atque membratim dividere occidentali maxime in Ecclesia nefas fuisse. Insignis, ac notissima est ea de re Gregorii Magni Epistola ad Constantiam Augustam, quæ *propter eam, quam in honore Sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificabat Ecclesiam, Caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de Corpore ipsius transmitti ad se petierat*. Id sibi non licere illam certiorem faciens Sanctissimus Pontifex hæc subdit verba: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquid tangere præsumant de Corpore, sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Corpora Sanctorum ponitur: quod levatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum Corpora deferantur.* Hunc morem etiam Gregorius Turonensis Episcopus de tumulo Sancti Petri agens mirifice indicat, atque exponit. Illius verba hic proferre liceat: *hoc enim sepulcrum* (videlicet Sancti Petri) inquit ille, *sub Altari collocatum habetur valde rarum. Sed qui orare desiderat, resseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum: & hic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite,*

quæ

quæ necessitas promit eflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum jacit intrinsecus. Deinde vigilans, ac jejunans devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu! Si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam pensaverat, ponderet; & tunc scit qui levaverit cum ejus gratia sumpsisse, quod petit. Porro non unica, sic hunc in locum egregie adnotat Mabillonius (*a*) *sed duæ ad Beati Petri sepulcrum ejusmodi fenestellæ erant, superior, & inferior, cataractæ appellatæ, in altera suggestione Legatorum Germani, & Joannis Episcoporum nomine Justiniani Comitis missorum ad Hormisdam Pontificem petentium, ut sanctuaria, sic ejusmodi Reliquias vocant, ad secundam cataractam ipsis concederentur. Major quippe prærogativa censebatur, si ex secunda fenestella panni super Petri sepulcrum, seu locum inferrentur: propterea quod ex ea propior esset sacri Corporis contactus, atque adeo virtus major haberetur. Brandea* igitur scilicet *panni*, *linteamina*, & alia id genus, quæ quoquo modo Sanctum aliquod corpus, ejusve tumulum attigerant, laudatis sæculis Reliquiarum nomine exornabantur. Nuperrime memoratus Gregorius Turonensis in lib. I. de gloria Martyrum cap. 47. Sanctorum Gervasii, & Protasii Reliquias, *linteamina*, seu *pallulas*

(*a*) Epist. de cultu SS. Ignot. num. 19.

talas eorum sanguine intinctas imbutasque appellat, & lib. 11. cap. 34., & 35. Reliquias Sancti Juliani vocat fimbrias pallæ, quæ sanctum tetigit tumulum a se detractas; in libro autem primo de Miraculis S. Martini cap. 11. enarrat, Chararici Galliciæ Regis Ariani Legatos sericum pallium S. Martini tumulo impositum pro sacris Reliquiis in Patriam retulisse. Id genus brandea in Parisiensi S. Germani, seu Pratensi Basilica ex dono Gregorii Magni adhuc asservari (a) Mabillonius tradit. Olea quoque, quæ ad Sanctorum tumulos ardebant, ut Reliquiæ habebantur, cujus rei est nobis locuples testis idem Gregorius Turonensis, qui in libro de gloria Confessorum Cap. 9. S. Martini Reliquias nuncupat olei ampullam ab ejusdem tumulo depromptam, & Olea solummodo fuere Reliquiæ illæ, quibus Reginam Theodelindam Gregorius Magnus donavit. Authenticum earumdem Reliquiarum indicem, qui Mediolani in Museo Septaliano invisitur, (b) Muratorius, (c) Mabillonius, aliique ediderunt. Hujusmodi igitur Reliquias ad templorum dedicationes adhiberi solitas fuisse, nuper recitato loco Sanctissimus Pontifex Gregorius M. nos admonuit, atque eisdem illius ævi Patres, dum mobilia consecrarent Altaria, usos quoque fuisse dubitet nemo, si animum parumper advertat, nullas ferme tunc temporis

(a) Eadem Epist. ac eod. num.
(b) Tom. II. Anecdotorum.
(c) In Append. ad Præf. Ann. O. S. Bened. pag. 651.

poris præter has extitisse Reliquias, quas huc illucque circumferre fas esset. Neque ullo modo ambigendum est, Itinerarias Tabulas suis caruisse Reliquiis, quum Altaribus, cujuscunque essent generis, sacras Sanctorum Reliquias adjungere veterrimum in Ecclesia extitisse morem, jam liquido constat. Norunt enim omnes, Ecclesiæ usque a primordiis Fideles ad sacras agendas synaxes Sanctorum tumulis convenisse, ac insuper processu temporis super isthæc veneranda loca sua Altaria, atque Templa ædificasse. Hinc Gentiles, ut ex Ammiano (*a*) Marcellino colligimus, Christianorum Basilicas *sepulcra* nuncupavere. *Male facit*, sic ad rem nostram Hieronymus adversus Vigilantium ait, *Ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Cristi arbitrabatur Altaria.* Hunc ritum Prudentius etiam describit de S. Vincentio ita canens:

Sed mox subactis hostibus
Jam pace cunctis reddita
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario
Imamque ad aram condita
Cælestis auram muneris
Perfusa subtus audiunt.

Idemque colligitur ex Paulino in Natali IX. de San-

(*b*) Lib. 22. cap. 11.

Sancto Felice, cujus carminibus, quum probe sciam, te plurimum gaudere, idcirco illa etiam tibi in mentem revocare audeo:

Nam quasi contignata sacris cænacula tectis
Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem,
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi &c.

Hi vero tumuli, (*a*) seu Altaria ciboriis, seu turritis ædiculis quatuor columnis suffultis exornabantur, quemadmodum colligere est ex (*b*) Gregorio Turonensi, qui sacros Sancti Petri Apostoli, ac S. Dionysii tumulos hisce ornamentis condecoratos nobis repræsentat. Insigne quidem, & certe memoratu dignum est ciborium illud, quod a (*c*) Paulo Diacono Warnefridi filio describitur: *Ciborium solidum*, inquit ille, *ex auro miræ magnitudinis, & ponderis fecit* (Güntramnus Rex) *multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulcrum Domini Hierosolymam transmittere voluit; sed cum minime potuisset, idem supra corpus B. Marcelli Martyris, quod in Civitate Cavallono situm est, poni fecit*. Hæc ciboria, seu ædiculæ (*d*) *Lecti*, *Lecticæ*, *Tumbæ*, *Mausola* appellabantur. Porro ea fuit semper sacras Altaribus Reliquias adjungendi

Ee 4 cura,

(*a*) Vide Mabill. Præfat. in sæcul. I. Ord. S. Bened. num. 45.
(*b*) Lib. I. de Miracul. Martyr. cap. 28.
(*c*) Lib. 3. de Gest. Lang. cap. 35.
(*d*) Vide Mabill. laud. loco.

cura, ac sollicitudo, ut Altaria eisdem omnino carentia reprobarentur. Insignis extat hacce de re Concilii Carthaginensis constitutio apud Dionysium Exiguum in cap. 80. *Item placuit, ut Altaria, quæ passim per agros, & vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur, si autem hoc per tumultus populares non sinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur: & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ Reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur Altaria, omnimodo reprobentur*. Si ergo Altaribus suæ inerant Reliquiæ, ipsa videlicet Sanctorum corpora, quæ sub ipsis condita erant, hinc colligendum, vel ab antiquissimis temporibus suas quoque Altaribus *mobilibus* haud defuisse Reliquias, quod laudatus Pater (*a*) Gattico perspicue demonstrat ex veteribus monumentis, & præsertim ex vita S. Wlframni Senonensis Episcopi apud Surium die 20. Novembris, in qua enarratur ab ipso legatum Fontanellensi Monasterio *Altare consecratum in quatuor angulorum locis, & in medio Reliquias continens Sanctorum in modum Clypei*, quod

(*a*) Cap. 3. num. 10.

quod dum iter ageret, vehere solitus erat. Quæ quidem Reliquiæ nihil aliud ut plurimum profecto erant, sicut supra adnotavimus, quam *brandea*, *linteamina*, vel quidquid in his simile in mentem venit. Quod diserte colligitur maxime ex eodem Gregorio Turonensi apud Martenium (*a*) qui Bertramnum Burdigalensem accepisse refert sudarium guttis marinæ aquæ stillans, quod cuidam mulieri per visum a S. Stephano ostensum fuerat, additque *plerunque*, & *ipse Pontifex de eo decerpens pignora, ubi Ecclesias consecrabat fideliter collocavit*: & cap. 51. *In Arvernensi S. Symphoriani Ecclesia tres capillos* sanguine S. Martyris tinctos fuisse reconditos, meminit, libro vero 20. cap. 34. nobis enarrat in dedicata a se Turonensi S. Juliani Ecclesia aliud nihil in Altari repositum, quam *fimbrias* ex palla, quæ desuper S. Martini sepulcrum dependebat. Sed piget hoc de more ab aliquibus, & præcipue ab Orderico (*b*) Vitali improbato plura tibi argumenta proferre, quæ tamen cuipiam Martenium nuper recensito loco consulenti patebunt.

Porro dissimulare non est, quemadmodum jam (*c*) Mabillonius animadvertit, primis etiam Christi sæculis *Elevationes*, ut vocant, *Translationesque* Sanctorum tum in Oriente, tum in Occidente celebratas fuisse. Tibi enim optime com-

(*a*) Lib. 11. de Antiq. Eccl. rit. cap. 13. num. 9.
(*b*) Lib. 7. Hist. Eccles.
(*c*) Præfat. in sæcul. 11. Ord. S. Bened. num. 43.

compertum est, ut nonnullas ex hisce Translationibus hoc loco recenseam, Arcadium (*a*) Augustum B. Samuelis ossa de Judea in Thraciam, ac Theodosium (*b*) Imperatorem hujus nominis secundum sacras Divi Johannis Chrysostomi exuvias a Comagene Constantinopolim transtulisse. Ambrosius etiam Mediolanensis Episcopus SS. Gervasii Reliquias ex una in alteram transvexit partem, ac præterea Gregorius Lingonicus S. Benigni Martyris, & Perpetuus Turonensis S. Martini, aliique, ut videre est apud Gregorium (*c*) Turonensem, alia SS. Corpora e tumulis sustulerunt, ut illa aptiori in loco reponerent. At Ecclesiæ Patres hanc abrogare consuetudinem enixe curarunt, ea præsertim de causa, quam nobis indicat Augustinus (*d*) in libro de opere Monachi, ubi quosdam carpit personatos Monachos, *qui circumeuntes Provincias membra Martyrum (si tamen Martyrum membra) venditabant*. Quæ consuetudo occasionem quoque præbuit Theodosio (*e*) Imperatori sanciendi legem, quæ sic habetur: *humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur*. His tamen haud obstantibus, octavo, ac præsertim nono Christi sæculo Sanctorum Corpora a tumulis tollendi, transferen-

(*a*) S. Hieronym. Lib. adversus Vigilant.
(*b*) Theodoret. Hist. lib. 5. cap. 36.
(*c*) De Gloria Mart. lib. cap. 51. 56. 63. & de Gloria Confess. cap. 20 & 72.
(*d*) Cap. 8.
(*e*) C. L. ult. de Sepul. viol. 5.

rendique iterum obtinuit mos, dein sancta illorum membra hinc inde etiam distrahi cæperunt, illis tamen sacris adhibitis cautionibus, quæ a Catholica Romana Ecclesia Christianæ veritatis Magistra sapientissime perscriptæ fuerunt. Hinc decimo, atque posterioribus sæculis Altaribus cujuscunque generis sanctorum membra inserta, atque inclusa passim occurrunt, ut, aliis omnibus posthabitis, præsertim videre est in Altari gestatorio recitato loco descripto, atque nostro in Altariolo, ad quod rursus sermonem confero, unde nimium forte antiquitatis amor me abripuit.

Habes igitur ex jam recensita inscriptione, quæ Sanctorum Reliquiæ nostro fuerint Altariolo insertæ. Adnotes velim post Apostolos Protomartyrem Stephanum in ista obsignari, quod e de causa factum opinor, quia Sanctissimus Protomartyr nostræ sit Concordiensis Diæceseos Patronus, in qua hoc Salvaroli Castrum a Marco Antonio Sabellico (*a*) atque ab Henrico (*b*) Palladio memoratum, situm esse, jam optime nosti. Quod autem inter Sanctos ejusdem Castri Patronos vel ab antiquissimis temporibus Laurentius gloriosissimus Martyr recenseatur, ideo post Divum Stephanum illius nomen adnotatum legitur. Qui autem sequuntur Sancti omnes, ut ex illorum nominibus jam collegisti, Aquilejenses sunt. Complures celeberrimam Metro-

(*a*) De Vetustate Aquilejæ lib. I. pag. 119.
(*b*) Hist. Forojul. lib. 1. pag. II.

tropolitanam Patriarchalem Aquilejensem Ecclesiam mirifice exornant Sancti, quorum agmen ducunt Sanctissimi Martyres Hermachoras, & Fortunatus illius amplissimæ Diæceseos Patroni. Veteres Aquilejenses Catalogi solis Episcoporum nominibus constantes *Hermagoram* primum Aquilejæ Episcopum nobis exhibent. Hoc idem quoque adstruit interpolatum Divionense Martyrologium Bedæ apud doctos Bollandi συνεργὺς T. 2. Mensis Martii, ubi legitur: *Apud Aquilejam Natale S. Hermagoræ ipsius Civitatis primi Episcopi, discipuli Sancti Marci*. Insuper mirum est quam corrupte in quibusdam Martyrologiis Hermachoræ nomen legatur. *Armigeri* enim *Armageri*, & *Armagiri* loco Hermachoræ habetur, de quo Wandalbertus Diaconus, & Prumiensis Monachus noni sæculi scriptor in suo metrico Martyrologio a Luca Dacherio edito ad diem XII. Julii ita cecinit:

Hermagoram quarto (Id. Julii) supplex
Aquileja frequentat,
Antistes precibus populum qui fulcit, &
urbem.

Sanctus Hermachoras, cujus acta primum a Mombritio, dein a Bollandianis evulgata fuere, primo Christianæ æræ sæculo jam adulto, ut contra Tillemontium doctissimus Pater de Rubeis (*a*) adprobat, Martyrium subiit cum Fortunato Diacono, de quo Venantius Portunatus canit:

Ac

(*a*) Monum. Eccles. Aquil. pag. 26., & seq.

Ac Fortunati benedictam Martyris urnam?

Is in postrema eorumdem Actorum parte illis historiam describente Archidiaconi nomine insignitus legitur. *Quo nomine*, ut laudati Patris de Rubeis verbis utar, *licet sequiore ætate invecto, res tamen eadem significatur; primatus nempe inter alios Diaconos, ac præcipuum præstitum Episcopo ministerium, quod in primordiis Ecclesiæ Christianæ negari non potest. Fortunatum moribus probatissimum, fideique sanctissimis dogmatis apprime imbutum postulantibus Aquilejensibus designavit successorem Hermagoras*. A Martyrologiis Hieronymo adscriptis, Notkeri, atque Usuardi ad diem XII. Mensis Julii Fortunatus cum Hermagora recensetur. Ab hoc vero sunt secernendi alii duo ejusdem nominis Sancti, Diocletiano imperante, martyrio coronati, quorum alter cum Felice ad diem XI. Junii, alter vero cum Hermogene ad diem XXIII. Augusti ab Aquilejensibus Fastis recolitur. Quod doctissimus (*a*) Tillemontius quum non animadverterit, iccirco in dubium vocavit, num Hermagoras, quem primum Apostolico ævo Aquilejæ Episcopum fuisse, non satis sibi suadet, sit ad Diocletiani tempora cum altero Fortunato detrudendus. Sed hanc illius conjecturam a veritate omnino distare, Pater de (*b*) Rubeis luculenter ostendit.

Quoad *Helarum*, seu Hilarium, Aquilejensium Metropolitanorum series illum post Hermachoram

(*a*) T. I. Monum. Hist. Eccles. Nota VI. in persecutione Neronis.
(*b*) Laud. Oper. pag. 33.

ram statuunt, de quo Usuardinum Martyrologium a Bollandianis vulgatum sic habet: *Apud Aquilejam natalis B. Hilarii Episcopi, & Tatiani Diaconi, qui sub Beronio Præside post equuleum, & alia tormenta una cum Felice, Largo, & Dionysio martyrium terminarunt.* Illum quoque meminere Notkerus, martyrologium a Florentinio editum, Richonoviense, Reginæ Svecorum apud Bollandianos, Corbejense apud Dacherium, & vetustissimum Antverpiense apud Florentinium in quo legitur: *In Aquileja ad Ponto Largi Hilarii Tatiani.* Verba illa *ad Ponto* martyrii locum designant, qui ut Pater (*a*) de Rubeis conjectat, fortasse fuit Pons Soncii, quem (*b*) Herodianus *opus magnum, atque pulcherrimum* appellat, cujusque vestigia inter Goritiam, & Gradiscam in loco, qui *Mainizza* vulgo nuncupatur, a popularibus nostris adhuc ostenduntur. Porro illius martyrii tempus non liquido constat, secundo tamen, vel ineunte tertio Ecclesiæ sæculo hoc evenisse indubium est. Hacce de re adeundus est semper cum laude nominandus de (*c*) Rubeis, a quo recensito loco rem ipsam ingeniose, ac erudite disquirit.

Cancius autem, Cancianus, ac Cancianilla Fratres, de quibus sic Venantius Fortunatus:

Aut Aquilejensem si forte accesseris urbem,
Cancianos Domini nimium venereris amicos.

ineun-

(*a*) Eodem Opere pag. 36. & seq.
(*b*) In Maximino lib. 8.
(*c*) Eod. Opere pag. 37. & seq.

ineunte quarto Christi sæculo immortalem martyrii palmam sunt assecuti. Illorum acta Ambrosii nomine exornata apud Mombritium leguntur. At Mabillonius ex Codice Ulrici Obrecti hæc acta nullo Ambrosii nomine inscripta ad calcem Liturgiæ (*a*) Gallicanæ evulgavit. Quæ his in actis sint expurganda, indicat (*b*) Tillemontius, præter quem est etiam consulendus (*c*) Henschenius pridie Kal. Junii. Hos vero Martyres *de genere Aniciorum* fuisse ab eisdem actis docemur, de qua præclarissima gente (*d*) Prudentium, Divum (*e*) Hieronymum, ac inter recentiores (*f*) Baronium, Justum (*g*) Fontaninum, ac Dominicum (*h*) Georgium adeas velim. Porro istos non minus genere, quam sanctitate insignes Fratres ad Aquas Gradatas Martyrii coronam suscepisse ferunt. De vero earumdem Aquarum Gradatarum situ eruditi Viri non omnes ad unum consentiunt. In primis Henricus (*i*) Palladius in sua eleganti rerum Forojuliensium historia, ubi hæ fuerint, vix constare pronunciat; alii tamen in Gradensi Insula, alii vero in Villa Sancti Canciani ab Aquileja parum

(*a*) Pag. 467.
(*b*) Tom. V. pag. 636.
(*c*) Pag. 427.
(*d*) Lib. I. adversus Symmachum.
(*e*) Epist. VIII. ad Demetriadem.
(*f*) In Annal. ad ann. 395. num. 5., atq. in Notationib. in Mart. Rom. Prid. Kal. Junii.
(*g*) In Antiquitatib. Ortæ lib. II. cap. 4. num. 3.
(*h*) In Adonem. pag. 242.
(*i*) Lib. I. pag. 20.

ram dissita illas reponunt. Quisnam illorum veritati magis adhæreat judicium ferre non ausim. Duo hic tantummodo animadvertam I. videlicet nonnullos in dubium vocare, num hæ Aquæ unquam extiterint, quum neque a Strabone, neque a Ptolomeo, neque ab Itinerario Antonini memorentur. Has tamen extitisse præter Dandulum, & Sabellicum, nostrorum Aquilejensium Martyrum acta satis comprobare videntur, quæ licet a Ruinartio inter sua acta Martyrum selecta non recenseantur, illis tamen, ut spuriis fides deneganda non est; omnia enim genuina Martyrum acta per doctissimum Ruinartium collecta haud fuere. II. Loca quæ ab Aquis vocitantur, hoc non ab Aquis marinis, sed a Thermis ut plurimum nomen invenerunt. Ejusmodi sunt ex. gr. in Helvetia *Aquæ*, *aut Thermæ superiores*, vulgo *Baden*, in Gallia *Aquæ Sextiæ*, *Aquæ Cajæ*, quarum alteræ vulgari lingua *Aix*, alteræ vero *Bagni di Foliano* appellantur, in Hispania *Aquæ Flaviæ*, sic vulgo *Castrum Chiaves* nuncupantur, *Aquæ Cutiliæ*, aliæque, quas omnes hic recensere non vacat. Hinc quum a Villa Sancti Cantiani celebres Thermæ nostra vulgari lingua *Bagni di Monfalcone* appellatæ paululum distent, quispiam fortassis conjectare poterit, istas Aquis Gradatis nomen dedisse, atque idcirco potius prælaudatam Villam Sancti Cantiani, quam Gradensem Insulam, in qua nullæ unquam Thermæ extiterunt, Aquas Gradatas nuncupatam fuisse. Cui rei etiam atque etiam confirmandæ novum fortassis argumentum erit,

quod

quod Wolfangus (*a*) Latius de tumulis Sanctorum Prothi, ac Chrysogoni profert: *supersunt*, inquit ille, *adhuc Tumuli in Villa Cantiana agri proximi duo marmora, in quorum altero scriptum est*: Hic jacet Corpus Sanctissimi Prothi. *& in alio*: Hic jacet Corpus Sanctissimi Chrisogoni. Ambo hi Sancti, quemadmodum ex illorum actis accipimus, ad Aquas Gradatas martyrio condecorati fuere, quod Protho præsertim contigit una cum antea memoratis gloriosissimis Fratribus, ac Martyribus Cancianis, apud quos, ut Adonianum, ac Romanum Martyrologium tradunt, pedagogi munere fungebatur. Sed plura hisce de Aquis in medium adferre fastidium tibi ingeret, quum Andreas (*b*) Dandulus, Marcus Antonius (*c*) Sabellicus, Hercules (*d*) Parthenopeus, Philippus Ferrarius (*e*), Nicolaus (*f*) Madrisius, ac nuperrime celebris, & eruditissimus Comes Joannes Dominicus Bertoli (*g*) Aquilejensis Canonicus, & eximius Vir Pater Basilius (*h*) Asquini pro sua quilibet sententia satis superque hoc de negotio differuerint.

Restat, ut de Sanctis Euphemia, Dorothea, Tecla, & Erasma nonnulla quoque breviter persequamur. Hasce Adolescentulas genere, ac ma-

Ff gis

(*a*) Comm. Reip. Rom. Lib. XII. Sæc. V. Cap. 8.
(*b*) In Chron.
(*c*) In Oper. de Ven. Sit.
(*d*) Descr. Forojul.
(*e*) In Lex. Geogr.
(*f*) Nella Apol. d. Aquil. pag. 40.
(*g*) Antichità d' Aquil. pag. 10.
(*h*) Ragguaglio del Territorio di Monfalcone car. 141.

gis virtute præstantes a B. Hermachora Christianis primum imbutas mysteriis, dein lustralibus aquis lotas fuisse, illarum nos acta docent. In Aquilejensi Patriarchali Basilica veterem picturam hanc rem exhibentem olim extitisse refert nuper memoratus Canonicus (*a*) Bertoli, cujuscunque antiquitatis, & maxime Aquilejensis diligens, ac peritissimus investigator. De eisdem Martyrologium Bedæ cum Auctario Flori a (*b*) Bollandianis vulgatum III. Nonas Septembris mentionem habet. Eadem quoque die illas recensent Molanus, Galesinius, Maurolycus, ac Romanum Martyrologium, in quo de istis sic legitur *Aquilejæ SS. Virginum, & Martyrum Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ, & Erasmæ, quæ sub Nerone post multa supplicia gladio cæsæ sunt, & a S. Hermagora sepultæ.* Præterea in antiquis membranaceis codicibus amplissimi Forojuliensis Capituli prostant acta sub nomine Passionis *SS. Euphemiæ, & Iorotheæ, Teclæ, & Erasmæ,* quarum martyrium *sub Nerone Imperatore, & Sevasto Præside in Civitate Aquilegia tertio decimo Kal. Octobris* refertur. Sacræ illarum exuviæ, Aquileja ab Unnorum Rege Attila funditus eversa, Gradum (*c*), Dandulo testante, translatæ fuerunt, unde denuo Aquilejam deportatæ inter alias illius insignis sacrarii Reliquias ibi etiamnum coluntur; quemadmodum ab illarum Reliquia-

(*a*) Antich. Aquil. cart. 499.
(*b*) Tom. II. SS. Martii.
(*c*) In Chron.

liquiarum Indice, seu *Rotulo* anno 1446. descripto, atque in peregregio opere *delle Antichità Aquilejesi* memorati Comitis (*a*) Bertoli evulgato, diserte colligitur.

Sed forte quæres quis fuerit *Plasenterius* ille *de Caono*, cui monumentum istud debemus. Hoc ut edíscerem, domesticas Tabulas, aliaque perplura documenta diligenter consului, sed frustra studium, curamque hactenus contuli; quocirca me illum plane ignorare, candide profiteor.

Peculiari profecto animadversione digna verba illa videntur, quæ nostræ inscriptioni finem faciunt, adnotantia nimirum hoc fuisse Altariolum constructum *Anno Domini MCCLXXI. mense Decembri Indictione XIIII. post mortem Venerabilis Domini Gregorii de Monte Longo quondam Patriarcæ Aquilegiæ duos annos, & menses tres*. Ab istis enim docemur, Patriarchis Aquilejensibus tunc temporis id tribui consuevisse, quod magnis Principibus tribuebatur, ut publicis videlicet in monumenris illorum obsignarentur nomina, simulque quot annos ipsi essent Patriarchali dignitate fructi; quum eadem monumenta instruerentur Singulari erudítioni tuæ, Vir præstantissime, optime compertum est, innumera extare monumenta, quæ Imperatorum, Regumque adnotatos exhibent annos. Tradit ad rem nostram Marchio (*a*) Masejus, Italiæ nostræ Decus, atque ornamentum, in quibusdam MSS. collectionibus, se Epitaphia reperisse antiquis

Ff 2 for-

(*a*) Pag. 366.
(*b*) Antiq. Galliæ Selec. Epist. 20. pag. 125. Edit. Veron.

formulis insignita, quæ Regum Francorum annos adnotabant *Erat*, ait Vir ille clarissimus, *quod sic obsignaretur*: *anno V. regni Dagoberti D. N. item quod sic: transiet XV. K. Nov. an. XXXXVI. Clotario D. N.* &c. Nummos quoque annis Imperii Principum Ægyptii olim insignibant, quos annos hac compendiaria nota L. indicabant; ut L A. in eorum numismatibus annum primum, L B. annum secundum significet, quemadmodum Ægyptiorum nummorum auctoritate freti (*a*) Norisius, (*b*) Pagius, (*c*) Vaillantius (*d*) Turrius, aliique demonstrant. Attamen quod singulare est, annos, qui ab obitu Gregorii de Monte longo effluxerunt, nostra solummodo adnotat Inscriptio ea de causa, ut arbitror, quod anno 1271. quo laudata Inscriptio exarata fuit, Aquilejensis Patriarcha legitimus extabat nullus, ideoque vacante Sede, ab ultimo defuncti Patriarchæ emortuali die hujusmodi annorum enumeratio habebatur. Gregorius enim X. postquam anno 1271. Pontificium Thronum conscenderat, Philippi Ducis Carinthiæ Fratris electionem in Patriarcham Aquilejensem haud ratam habuit, ut quidam Julianus Canonicus Civitatensis in Chronico a Patre de Rubeis edito in Appendice Monument. Ecclesiæ Aquil. enarrat, factique causam his aperit verbis. *Sed privatus fuit* (idem Philippus) *per* *sum-*

(*a*) De Epoch. Syromaced. Dissert. 4. cap. 1.
(*b*) In Critic. Baron. ad annum 69. num. 3.
(*c*) De nummis aur. & argen, in Poppæa pag. 73. & alibi.
(*d*) Dissert. Apolog. ad num. Anniæ Faustinæ cap. 3. pag. 28.

summum Pontificem Gregorium X. & Curiam Romanam: eo quod electio Patriarchalis fuerat ante dictam electionem per Romanam Curiam interdicta. nempe Aquilejensibus Canonicis inhibitum fuerat, ne successoris Patriarchæ Gregorii, Vacante Romana Sede, electio fieret. Vacabat enim Romana Sedes, quando Gregorius Patriarcha mortalitatem explevit, quandoque illi ab Aquilejensi Canonicorum præstantissimo Collegio nuper memoratus Philippus suffectus fuit (obierat enim Clemens IV. Pontifex Summus mense Novembri ann. 1268.) sed tandem die primo Septembris anni 1271. ad Romanam Sedem evectus Gregorius X. electionem illam enarrata de causa rejecit. Hinc factum est, ut mense Decembri anni 1271. qui eam regeret, Metropolitana Sedes Aquilejensis Patriarcham haberet neminem, neque vero habuit ante annum 1273. quo ab eodem Gregorio X. Raimundus a Turre, Comi Episcopus Aquilejensis Patriarcha renunciatus fuit.

En tibi, Laurenti amicissime, forte haud aspernandum Monumentum. Quæ huic illustrando tecum hucusque contuli, mihi probatum iri, non est, quod sperent, iterum tibi repeto, nisi eximiæ, qua mire polles, eruditioni omnino probentur tuæ. Quid igitur sentias hoc de negotio, ut me certiorem facias, te etiam atque etiam rogo. Verum antequam finem faciam, temperare non possum, quin aliud tibi communicem documentum ad rem, de qua hactenus versati sumus, itidem pertinens. Istud ut vocant,

cant,

cant, Privilegium est, quo gentili nostro Matthæo Althano anno 1473. ab amplissimo Cardinali Sanctæ Romanæ Sedis Legato, ac Patriarcha Aquilejensi facta fuit facultas, ut Altari portatili ubicunque ille uti posset. Habes hic hujusce documenti exemplar autographo, quod in domestico Tabulario adservatur, simillimum; ideoque illo emendatius, quod in libro inscripto *Memorie sopra la famiglia de' Signori Altani* ecc. ac Venetiis edito anno 1714. legitur, idcirco illud tibi libentius exhibeo.

Marcus Miseratione Divina Titulo S. Marci S. R. E. Præsbyter Cardinalis Patriarcha Aquilejensis, & Apostolicæ Sedis Legatus.

Dilectis nobis in Christo Matthæo ex Comitibus Salvaroli, Domino Locorum Salvaroli, & Campi Molini, & aliorum Locorum, ac ejus Liberis, Concordiensis Diæcesis salutem in Domino.

Sinceræ dilectionis affectus, quem ad Romanam geritis Ecclesiam non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis præsertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod Nos devotis vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis, & cuilibet Vestrum habere ALTARE PORTATILE cum debitis reverentia & honore, super quo in Castris Vestris, & Locis aliis ad hoc congruentibus, & honestis possitis, seu quilibet Vestrum possit per proprium, vel alium Sacerdotem

dotem idoneum sæcularem vel Regularem Missas, & alia Divina Officia absque tamen alieni juris præjudicio in vestra, vestrarumque Uxorum, Liberorum, & Familiarium vestrorum domesticorum, & aliorum a casu advenientium præsentia facere celebrare, devotionibus vestris præsentium tenore indulgemus. In cujus rei testimonium præsentes Nostras Litteras fieri, Nostrique sigilli fecimus appensione communiri.

Datum Viennæ sub Anno a Nativitate Domini Millesimo, Quadringentesimo, Septuagesimo tertio, decimo quarto Kal. Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Sixti Divina Providentia Papæ Quarti Anno secundo.


Nos hoc loco admonet res ipsa, ut saltem perfunctorie animadvertamus non modo complures Laicorum, sed pene omnes sacras (*a*) Regularium Familias sæculis XIII. ac XIV. Altaris Portatilis Privilegio usas fuisse. At quum nonnulli, ut ad annum 1235. Matthæus Parisius conquestus est, hisce abuterentur facultatibus, tum in venerandi dedecus Sacrificii, tum in Jurium Parochialium læsionem, hinc factum est, ut Summi Pontifices, ne quid res tam sacra detrimenti caperet, consulentes, *de reformatione* cogitare cæperint, & præsertim Paulus III. qui, ut nos docet Eminentissimus Cardinalis (*b*) Lam-


(*a*) Vid. Patrem Gatticum, qui laud. Op. cap. 8. Summorum Pontificum recenset Decreta quibus Sacris, inclytisque Regularium Familiis Altaris Portatilis privilegia concessa fuere.
(*b*) De Sacrif. Missæ Sect. 1. 8. 10.

Lambertinus, nunc summo Christianæ Reipublicæ bono Pontifex Maximus, tres Cardinales, & quinque Præsules delegit, qui hoc in negotium intenderent. Sed re ad Sacrosanctum Tridentinum Concilium reservata, ab illo sancitum fuit Sess. 22. *Ne patiantur* (Episcopi, seu locorum Ordinarii) *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi.* Ex quo innotescit, quantum harumce facultatum usus fuerit coarctatus.

Sed tandem dimittendus es: nimium forte crevit Epistola. Ex illustri Familia, quam regis, singulos, quos mihi Amicos nosti, salvere jubeas velim: Perdoctus noster Antonius Lazarus Morus multam tibi salutem nuntiat. Cura, ut valeas.

Salvaroli XIV. Kal. Julii anno 1750.





MIRT
RE·FOT
IDICIOEX

ILIPI·IRCOBI·
OMEI·ETSCORV
CCLXXI·MESEOCCTB

XXII
ALTHA
1753